

Introductio in historiam litterariam scriptorum, qui institutiones medicinae seu partem eius elementarem scriptis suis illustrare cordi habuerunt / [Andreas Ottomar Goelicke].

Contributors

Goelicke, Andreas Ottomar, 1670 or 1671-1744.

Publication/Creation

Frankfort on Oder : J.G. Conradi, 1735.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/mp2hcsgc>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>



62501 / B

MEDICAL SOCIETY
OF LONDON



ACCESSION NUMBER

PRESS MARK

GOELICKE, A.O.

W6

ANDR. OTTOM. GOELICKE,
MEDICINAE DOCTORIS INQUE REGIA
VIADRINA PROFESSORIS PUBLICI
ORDINARIJ NEC NON PHYSICI
PROVINCIALIS,

INTRODUCTIO

IN

HISTORIAM
LITTERARIAM
SCRIPTORUM,

QUI

INSTITUTIONES
MEDICINAE

feu

PARTEM

EJUS ELEMENTAREM SCRIPTIS SUIS
ILLUSTRARE CORDI HABUERUNT.

FRANCOFURTI *ad VIADRUM*,
apud JOH. GODOFREDUM CONRADI,

1735.

ANDR OTTON COLLEGE

1880
1881
1882
1883
1884
1885
1886
1887
1888
1889
1890

22
1880

THE UNIVERSITY OF CHICAGO

THE UNIVERSITY OF CHICAGO

THE UNIVERSITY OF CHICAGO



☉ (3) ☉

INTRODUCTIO
IN
HISTORIAM LITTERARIAM
SCRIPTORUM,
QUI
INSTITUTIONES
MEDICINAE
SCRIPTIS SUIS ILLUSTRARUNT.

§. I.

Recte omnino ac sapienter *Introductione in universam artem medicam* Cap. I. §. I. scripsit *Hermannus Conringius*, ingens quondam *Academiae Juliae* decus atque ornamentum; Philiatrum duo, priusquam studium ipsum adgrediatur, adferre secum oportere, nempe tum magistrorum, qui scientiam illam excoluerunt, tum etiam ipsius artis *προπαιδειας* justam accuratamque cognitionem. Quanquam autem de iis, quae de studio medicinae propaedeutico in scholis communiter traduntur, v. g. de existentia artis ejusque essentia seu constitutione, de origine, definitione, divisione, subjecto, objecto, fine, antiquitate, utilitate, necessitate, sectis variis & auctore medicinae &c. dubitari haud injuria posset, num tantae, quantae vulgo praedicantur, utilitatis atque necessitatis eistant: Extra omnem tamen dubitationis aleam positum est, notitia Auctorum, qui scriptis suis scientiam medicam illustrarunt, carere Philiatrum non posse: Quia alias vagabundus oberrabit, & quos vel imitetur vel fugiat, profundissime ignorabit. Idcirco, ne qua in re Philiatris nostris deesse videamur, operam dabimus, ut singulos, qui rudimenta artis exposuerunt, uno quasi obrutu

ipsis exhibeamus, quidve de illis sentiendum sit, candide simul tamen libere edisseramus. Facimus id eo lubentius, quo magis officii ratio id à nobis exoptulat, cum praeter alias artis partes, *institutionum professio* nobis sit demandata.

§. II.

Multae vero dubitandi rationes sunt, num ante *Hippocratis* tempora repertus quisquam fuerit, qui tyrocinia medicinae tradiderit: Quia in artis formam ea tempestate nondum redacta erat. Imo ne ipse quidem *Hippocrates* adcurate & tanquam ex professo hoc negotium ita persequutus est, ut in una quasi atque continua serie omnia ea, quae ad *είσαγωγικά, Φυσιολογικά, παθολογικά, υγίεια, σημειωτικά & θεραπευτικά* ab *Institutionum medicarum* scriptoribus referri hodie solent, in operibus ejus legantur; Quanquam tales confarcinari inde haud difficulter posse, persuasissimum mihi sit.

§. III.

Cujus rei periculum si cui facere allubescat, ipsum tantum fontem consulat necesse est. Ita enim *Isagogica* seu *τεχνικά* in libris, *Hippocrati* ab *Erotiano*, definitionum *Hippocraticarum* Auctore maximam partem vindicatis, nimirum de arte, lege, prisca medicina, de medico, decenti ornatu & praeceptionibus facile reperiet. *Physiologica* ejusdem in libris de natura hominis & genitura, de natura pueri, de carnibus, partu septimestri & octimestri, de corde, glandulis, natura ossium &c. *Pathologica* vero in libro de locis in homine, de morbis, de affectionibus, de virginum affectionibus, de natura muliebri, de superfoetatione, dentitione & morbis mulierum occurrunt. Et sicuti, quae ad *hygieinen & diaeteticen* spectant in libro de aëre, locis & aquis, de flatibus, de salubri victus ratione privatorum, de alimento, de liquidorum usu, de victus ratione sanorum, de insomniis & in libro de diæta in morbis acutis leguntur: Ita *semeiotica* in libris de judicationibus & diebus judicatoriis, prognostico, praedictionibus, Coëcis praenotionibus, & libro de humoribus deprehenduntur. *Therapeutica* vero liber *Hippocratis* de morbo

sacro,

sacro, de medicamentis purgantibus, de venae sectione &c. sub-
ministrat.

§. IV.

Ex quibus omnibus schema *Institutionum Hippocraticarum* quodammodo adumbrare ideo neque inutile neque inconveniens erit, ut, quas mutationes, incrementa vel decrementa successivis temporibus ceperint, perspici inde liceat. Quod igitur primum τα εισαγωγικά spectat, notum quidem est, quod *Institutionum* conditores prolixi esse soleant in decantandis laudibus ejus, quam profitentur, artis: Noster vero paucissimis, sed tamen nervose inculcat: (a) Medicinam omnium quidem artium nobilissimam esse, sed propter eorum, qui eandem exercent, ignorantiam, eorumque, qui temere de his judicant, imperitiam omnibus artibus jam longe inferiorem haberi: Unde & histrionibus comparare non dubitat, cum nomine quidem multi, re ipsa autem perpauca sint medici. Ad hanc medicinae scientiam apte comparandam, natura non tantum opus esse, sed & doctrinam, locum studiis aptum, institutionem à puero, industriam atque tempus requiri; Cavendum denique esse, ne haec sacra aliis, quam sacris hominibus demonstrarentur; Profanis vero, priusquam scientiae sacris initiati fuerint, talia demonstrare, omnino nefas esse, judicat.

§. V.

De (b) existentia artis, tanto minus dubitandum esse existimat, cum non solum absurdum sit, esse putare, quod non sit: Sed etiam eorum, quae non existunt, essentiam quis intueri nequeat, vel enunciare, quod sint. Medicinam definit per artem, cujus ope à morbis aegri vindicentur vel eorundem saltem vehementia obtundatur. Ab auctore vero libelli *de flatibus*, quisquis demum ille fuerit, definitur: Quod sit adjectio & detractio, & adjectio quidem deficientium, subtractio vero eorum, quae in corporibus

(a) *Hippocrates Libro de Lege.* (b) *Idem Libr. de arte.*

ribus hominum redundant. De vera ejusdem efficacia sic satis etiam modeste sentit: Unde eandem neque nimium extolli neque nimium deprimi, cuivis facile constabit. Neque enim iis, qui à morbo victi sint, manum admoventiam esse, prudenter monet, cum id medicinam praestare non posse, probe constet. Neque tamen ideo artem ipsam in reprehensionem incurrere debere: Esse enim criminationem vulgi, morbis detentos, quique eos evaserunt, FORTUNAE, non ARTIS beneficio evasisse. Et licet diffitendum non sit, multos etiam aegros citra opem medici artificis restitutos esse; Id tamen potestatem seu energiam artis nullo modo enervat, cum per se curatis eadem, quae, si, medicis adhibitis, curati fuissent, contigerint. Illi namque, qui, medicis non adhibitis, ex morbo convalescerunt, intelligant necesse est, se aliquid fecisse vel non fecisse, & idcirco sanitatem consequutos esse; Siquidem aut inedia aut copiosiore cibum & potum, aut sitim, aut balnea aut eorum abstinentiam, aut labores, aut quietem, aut somnum aut vigiliam aut eorum omnium promiscuum usum adhibentes, sanitatem consecuti sunt. Artis esse, non minus ea, quae offenderunt, quam, quae profuerunt, rite aestimare. Quod vero omnes morbi sanari nequeant, culpam non in artem ipsam, sed vel in ipsorum aegrotantium impatientiam vel negligentiam vel morborum vehementiam atque celeritatem rejiciendam esse, dexterime inculcat. Antiquitatem artis prosequitur *Cous* libro de *prisca medicina* atque ostendit, non fortuito, sed via quadam investigatam & inventam esse eandem. Doctrinam *anthropologicam*, quam fusius hodie, quam par est, suis in *Institutionibus* pertractant medici, ab arte longe alienam esse putat, atque Sophistarum classi adnumerat illos, qui fieri non posse dicunt, ut quis artem medicam cognoscat, nisi idem, quid sit homo, & quaenam prima ejus generatio & compositio, noverit. Quae enim ab his de *Natura* dicta vel scripta sunt, non tam ad medicam, quam pictoriam artem spectare judicat.

§. VI.

Quoad *Physiologiam Hippocratis*, ea ex superius allegatis scriptis eo, qui vulgo in *Institutionibus* servatur, ordine, pari facilitate delineabitur, dummodo ad id, quod de *natura elementorum, de temperamentis, humoribus, partibus, facultatibus & actionibus earundemque instrumentis* senserit, attendatur. Quotiescunque de elementis naturae humanae, de quibus quippe hic tantum sermo est, loquitur *Hippocrates*, qualitatum, *calidi nempe, frigidi, humidi & sicci* nominibus utitur; Quae tamen qualitates singulae, homine fato fungente, in propriam naturam reverterentur, siccum in siccum, humidum in humidum, calidum in calidum & frigidum in frigidum. Ex harum qualitatum diversa mixtione & mutua quasi contemperatione, ulterius docet, exurgere temperamenta, quae tamen & pro ratione temporum anni & diversarum quoque aetatum sint diversa. Humores ad quaternarium reducit numerum, sanguinem scil. pituitam & utramque bilem, tam flavam quam atram. Sicuti autem *variae corporis partes, quibus constat, enarravit*: Ita etiam *varias illis facultates & actiones vindicavit, quarum omnium primus veluti auctor sit spiritus, sicuti haec omnia ad mentem Hippocratis fusius explicuit Galenus.*

§. VII.

Reliqua ejusdem placita *Physiologiam* respicientia huc fere redeunt: (c) Reperiri in homine ignem quendam connatum. (d) Omne, quod minime coäluit, sive pellicula sive carne tegatur, cavum esse, quod, dum homo valet, spiritu quidem, sed, dum idem aegrotat, sanie plenum sit. (e) Inesse homini & amarum & falsum & dulce & acidum & insipidum aliaque sexcenta, quae pro copia & viribus varias habeant facultates. Et haec quidem mixtione & mutua inter sese contemperatione neq; cerni, neque molestia quenquam adficere. At ubi horum quippiam

(c) Idem libro de arte. (d) Ibidem. (e) Ibidem.

piam secretum fuerit, & per se extiterit, tunc & conspicuum fieri & hominem molestia adficere. (f) Corpus nostrum tribus ex rebus constitutum esse, nempe continentibus, contentis & impetum facientibus, quo postremo nomine spiritus intelligendos esse, & antiqui & recentiores tantum non omnes mordicus defendunt. Et ne quis forte dubitandi ansam inde arriperet, conceptui sano non undique statim congruere, qua ratione spiritus isti, quos alioquin tenuissima constare substantia credunt, sursum, deorsum, omnesque in partes ferantur, difficultati statim satisfaciunt (g) alio Hippocratis loco, quo confluxionem unam, conspirationem unam & consentientia omnia statuit; Quam etiam sententiam acerrime inculcavit (h) Galenus, qui totum corpus *συμπνεῖν* & *συρρεῖν* esse interpretatus fuit. Adscribit porro idem *Caus Naturae* exquisitam sensibilitatem, dicendo: (i) Ejusmodi naturas, quae celeriter ac vehementer suorum delictorum incommoda percipiant, reliquis equidem imbecilliores esse: Imbecillem vero proxime ad eum, qui aegrotaret, accedere, esseque imbecilliolem, qui aegrotaret, multoque gravius adfici, si quid intempestive fecerit. De (k) genitura viri sic docet: Proficisci eandem ex universo totius corporis humido, quod in eodem contineretur. (l) Masculinum semen foeminino esse robustius. (m) De iis, qui sectionem juxta aures experti sunt, enunciat: Quod venerem quidem exerceant, verum quod semen paucum & imbecille & infocundum emittant. De puellis, pueris atque mulieribus haec pronunciat: (n) Puellas citius pubescere, quam pueros, quo citius sapiant & senescant propter corporum imbecillitatem & victus rationem. (o) Puerum in utero matris respirare, docet; Compressis enim labris tum ex utero matris alimentum fugere, tum spiritum, qui in puer-

ro cali-

(f) Libro VI, Epidemicor. Sect. VIII. Aphor. 8. (g) Libro de alimento. (h) Libro I, de medendi ratione. (i) Libro de arte. (k) Libro de genitura. (l) Ibidem. (m) Ibidem. (n) Libro de partu septimestri. (o) Libro de carnibus.

ro calidissimus sit, in cor attrahere. (p) Magis fanas esse mulieres, si cum viris rem habeant, quam contra. (q) In venere exercenda longe illas minorem prae viris voluptatem percipere, virum vero insuper etiam diuturniorem; Id quod an sufficienti experimento suffultus enunciarit senex noster, alibi disquiremus. Caeterum (r) semen quoque mulieribus adjudicat, quod corpore suo (inter coeundum) emittant, interdum quidem in uterum, ex quo humidus reddatur, nonnunquam vero foras, si plus aequo uterus dehiscat; Additque, quod post coitum (s) semen ab utrisque emissum, siquidem mulier minime conceptura sit, foras profluat; si autem conceptura sit, semen minime foras profluat, sed in ipso utero maneat; Unde praeter hoc sequentia conceptionis (t) signa tradidit: Mulierem nempe, ubi conceperit, statim inhorrescere & incallescere & dentibus stridere & articulum reliquumque corpus convulsionem prehendere & uterum torporem, idque iis, quae purae sint, accidere; Quae vero crassae & mucosae istud experiantur, earum plerasque hoc non sentire: Candide tamen hic simul profitetur, tantum se de his rebus scire, quantum ipsae (mulierculae) id ipsi indicaverint. (u) De partu septimestri & octimestri ita sentit: Puerum septimo mense natum certa ratione in lucem prodire & vitalem esse, cum is rationem & numerum exacte ad hebdomadas respondentem habeat; Octavo vero mense natum nullum unquam vixisse: Novem autem mensium & decem dierum foetum edi & vitalem esse, numerumque ad hebdomadas exacte respondentem habere; Quam suam sententiam ulterius (w) alibi explicat, adjiciens: Octimestrem partum octavo mense aegrotare; Ex iis enim, qui septimo mense nati sint, superesse quosdam, licet ex multis pauci sint. Mulieribus interim de partu fidem habendam esse, quippe quae adfirment, quod septimo mense, & octavo

B

& no-

(p) Libro de genitura. (q) Ibidem. (r) Ibidem. (s) Ibidem.
 (t) Libro de carnibus. (u) Libro de partu septimestri, (vv) Ibi-
 dem,

& nono & decimo & undecimo partus in lucem prodeant, sed ex hic octavo mense natos minime superesse. Cujus rei hanc (x) alio in loco allegat rationem: Quod partus octavo mense editus non possit duas continenter consequentes afflictiones perferre, ideoque eos, qui octavo mense nascerentur, minime superesse posse. His enim, inquit porro, accidere, ut ea, quae in utero est, & ea, quae in partu fit, afflictione consequenter laborent, proptereaque eorum, quae octavo mense eduntur, nullum esse superstitem, concludit. Quam tamen *Hippocratis* sententiam falsitatis (y) alibi satis convicimus. Undecimestres vero, duodecimestres & reliquos, decimum mensem supergressos refert ad fallacias mulierum, quae nempe vel mensibus non prodeuntibus, vel uteris in tumorem sublatis utero sibi gestare videantur, in quo tamen & decipiant & decipiantur; Quod idem etiam sensisse *Paulum Ammannum*, Professore *Lipsiensem*, alibi notavimus. Concedit porro, (z) nihil impedire, quo minus superfoetatio seu alter conceptus in muliere fieri queat: Nam superfoetare eas mulieres, in quibus os uteri (stomachum vocant) post primum conceptum non ita valde clauditur. (zz) Coëuntibus denique, tam foemellis quam viris has praescribit leges, illis, ut recte concipiant, his, ut pro voto suo generent. Vir, secundum monitum *Senis* nostri, neque inebrietur, neque vinum album bibat, sed valentissimum ac meracissimum, cibusque utatur valentissimis, calida ne lavet, robustus sit & sanus, & cibus abstineat, quae ad rem minime faciant. Videtur quoque temere sibi persuasisse, in viri potestate positum esse marem vel foeminam generare; Cum, inquit, marem procreare volet, mensibus desinentibus aut cessantibus uxorem adeat, & quam penitissime (membrum virile) intrudat, dum semen excernat: At ubi foeminam generare volet, cum plurimi menses mulieri

(x) Libro de partu octimestri. (y) Disputatione medico-forensi de partu octimestri vitali & legitimo. (z) Libro de superfoetatione, (zz) Libro proximo citato. Conf. medic. For. nostr.

lieri fluxerint nec dum cessarint: Dexter autem testis, quo ad maxime fieri potest, obligandus; sinister vero, si maris procreatio expetitur. Fateor autem, haec praecepta ita comparata esse, ut ea sequi vix liceat, & si liceret, frustra-
neum tamen & irritum foret. Taceo, jus jurandum ejus graviter laedere artificium vel potius consilium, quo fidi-
cinae cuidam, quam minime gravidam esse decebat, ab-
ortum procuravit.

§. VIII.

Eodem modo comparatum est cum *Pathologia Hippocra-
tis*, quam quis in una atque continua serie ejus in scriptis
difficiliter reperiet. Quae vero seorsim hinc inde occur-
runt, ad haec pauca rerum momenta reduci sese patiun-
tur. (a) Morbum in genere adpellat omne id, quod ho-
mini molestiam adfert. (b) Adferit quoque, nulli illo-
rum prae altero majorem, uti loqui amat *Cous*, divinita-
tem competere, sed omnes aequae divinos & aequae hu-
manos esse. Unde ingenti praejudicio laborasse censet o-
mnes illos, qui (c) morbo comitiali divinitatem quandam
vindicarunt, cum homines ideo tantum ex imperitia & ad-
miratione divinam & naturam & causam illi adscripserint,
quod nulla in re reliquorum similis esset.

§. IX.

Juxta haec non neglexit quidem omnino morborum
causas indagare, sed cum ingenti tamen difficultate id
scrutinii genus stipatum esse non diffitetur. (d) Obscuris-
simos enim & maxime difficiles morbos opinionem magis,
quam artem, indicare; In his praecipuum esse, quaenam
sit morborum causa & ex quo principio ac veluti fonte cor-
poris vitia oriantur? Multum tamen in indagatione cau-
sarum morbificarum situm esse (e) inde infert, quod is
facile ex illis, quae corpori insunt, ea, quae conferant,
offerre possit. Mox vero subjicit, (f) plerosque morbos

B 2

vix

(a) Libro de flatibus. (b) Libro de morbo sacro. (c) Ibidem. (d)
Libro de flatibus. (e) Ibidem. (f) Ibidem.

vix aliunde oriri posse, quam ex aëre, cum is aut copiosior aut parcius aut plenior aut morbidis inquinamentis infectus in corpus subierit. Non minus quoque in censu causarum morbificarum accusat pravam victus rationem, cum quis copiosiores cibos aut liquidos aut siccos corpori exhibuerit, quam ipsum ferre queat, neque labore aliquo ciborum quantitatem compenset, imprimis si varios insuper & dissimiles inter sese cibos immittat; Dissimilia enim seditionem excitare, & alia aliis citius, alia tardius concoqui. Notat vero potissimum (g) tempora solstitialia & aequinoctialia, & inter illa quidem aestivum, inter haec vero vernum & autumnale, quod maximi periculi plena sint. Observandos itidem esse siderum ortus, praecipueq; caniculae, arcturi & vergiliarum occasus, quia his diebus morbi judicationem subirent, & alii quidem perimerent, alii vero deficerent, aliique omnes in aliam formam atq; statum transfirent. Quibus (h) alibi addit, non minores homini affectus ex intempestiva evacuatione, quam repletionem contingere. Non minus quoque (i) à defluxionibus à capite versus alias partes factis multos morbos derivat, v. g. apoplexiam, si versus cerebrum ipsum, ophthalmiam, si in oculos &c. fluxio ista contingerit. Quod si vero per palatum pituita ad ventrem perveniat, tunc ventres quidem fluere, inde tamen non aegrotare homines; Ast pituita intra permanente, volvulos fieri, affectiones diuturnas. Per palatum ad fauces multam & frequentem fieri fluxionem, morbos tabidos efficere credit. Ut taceam morborum phalanges, quos (k) anni tempora, tempestates earundemque mutationes, venti, pluviae, aestus, frigora, variae hominum aetates &c. pariunt. Unde (l) medico, ad locum ignotum venienti & artem suam recta ratione exercitatur commendat, ut variorum anni temporum rationem habeat, nec non ventorum, quavis

(g) Libro de aëre, aquis & locis. (h) Libro de prisca Medicina. (i) Libro de glandulis. (k) Aphorismorum Hippoc. integra Sectione III. (l) Libro de aëre, locis & aquis.

vis in regione spirantium indolem exploret & ad aquarum qualitates attendat. Ipsam quoque (m) victus rationem inspiciendam, imo & varium regimen attendendum esse jubet, an otio dediti vel exercitationibus & laboribus gaudeant? Tali enim, has similesque res exacte exploranti pollicetur, se morborum cuique regioni familiarium notitiam facile sibi comparaturum atque hinc tanto etiam felicius curaturum, imo &, quales inprimis morbi grassaturi sint, haud vane praedicturum.

§. X.

Neque eam *Pathologiae* partem, quam *actiologicam* vocant *Institutionum medicarum* conditores, omnino ignoravit; Cujus rei unicum saltem ut exhibeamus specimen, phaenomena febrium intermittentium exempli loco inservire nobis poterunt. Explicaturus enim *paroxysmum horroris* seu *frigoris*, ita ratiocinatur: (n) Cum cibus multum quoque aëris seu spiritus ingeri; Hunc, cum prae multitudine exire nequeat, obstructo ventre inferiore, universum tunc corpus percurrere flatus, eosque ad partes corporis sanguine refertas illapsos eas refrigerare: Quibus tum locis, in quibus fontes & radices sanguinis continerentur, refrigeratis horrorem per universum corpus penetrare. Universo enim sanguine perfrigerato, totum quoque corpus horrorem pervadere, majorem, quo majore copia & frigiditate flatus irruerint; Si contra, minus vehementem. *Oscitationes* ideo praecedere febres autumat, quod aëre magna copia coäcervato confertimque ad superiora erumpente, tanquam machinatione aliqua os diducatur, quod hic potissimum facillimus ei transitus concedatur. *Calorem*, deinde, subinde *aestum febrilem* subsequi, ita explicat: Coäcto cumulatim plurimo sanguine, aërem ipsum, qui sanguinem refrigeravit, a calore superari, rursus incallescere, incensumque ac veluti igneum existentem in toto corpore calorem excitare, ad id ipso etiam sanguine subserviente. *Sudores* fieri docet liquatione ejus, quod incensum est, ex

B 3

quo

(m) Ibidem, (n) Ibidem,

quo spiritus oriatur, quo ad corporis meatus erumpente sudores excitarentur; Coacto nempe spiritu in aquam abeunte & per meatus eodem modo erumpente, quo a ferventibus aquis vapor sublatus incrassescat & condensetur. *Dolores capitis* hoc modo contingere existimat, quod viae capitis, cum aëre replentur, angustiores reddantur, sicque repletæ ac distentæ dolorem excitent. *Pulsationes circa tempora* inde derivat, quod sanguis vi pulsus cum calidus existat, per angustam viam celeriter transire nequeat, quod multa cum remorentur, quæ impediunt motum & obstruunt vias: Unde pulsationes circa caput contingant, necesse est.

§. XI.

In *arte semeiotica* morbos tum cognoscendi tum futuros eorum eventus perite prædicendi, usque adeo exceluit *Cous* noster, ut neque suis neque nostris temporibus quenquam ea in re parem, nedum superiorem habuerit. Imo, qui hanc signorum doctrinam scriptis vel commentariis suis post illum illustrarunt, ingenue confessi sunt, faciem *Hippocraticam* ubique praeluxisse: Unde ipse *Prosper Alpinus* in aureo suo tractatu de *praesagienda vita ac morte aegrotantium*, singulis in paginis testatum facit, quod pleraque sua ex solidissimis *Hippocratis* monumentis hauserit: Quem proinde librum dignum judicavit *Hermannus Boerhaave*, qui nova forma ab infinitis hypothetarum mendis repurgatus A. MDCCX. in lucem publicam denuo prodiret. Sunt autem præter multos alios fontes, ex quibus prædictiones suas petit *Hippocrates*, sudores, sputum, urinae, alvi fluxus, decubitus, mentis constantia vel alienatio multaque alia.

§. XII.

Præceptorum *diaeteticorum* locuples ubique in scriptis *Hippocraticis* conspicitur adparatus. Præscripsit enim non tantum quantitatem, qualitatem, modum aliasque victus conditiones in genere, sed & speciatim rationem victus anni temporibus, variis aetatibus imo & specialibus morbis

bis adcommodatam. Differuit de (o) lacte, quibus vel conveniat vel non conveniat, de aqua, vino aliisque liquoribus. (p) Aquas ex imbribus collectas levissimas, tenuissimas, dulcissimas ac limpidissimas esse judicat. Addit tamen, cito putrescere aquam pluviam & odorem pravam contrahere: Contra pravas omnes declarat, quae ex nive & glacie fiunt, cum per frigus leve ac dulce exhalet, turbidum vero ac ponderosum remaneat. Porro vero de aquarum salubritate ita differit: (q) Aquas ex locis saxosis defluentes, vel ubi ferrum nascitur, aut aes, aut luna, aut sol, aut sulphur, aut alumen, aut bitumen, aut nitrum, duras esse & aestuosas, quaeque nec facile per urinas ferantur & alvi egestionem adversentur: Optimas contra esse, quae ex sublimioribus locis profluant, dulces quippe & albas: Salsas vero, indomitas esse & duras, & ut bibantur, penitus improbandas. Non minus quoque aliis ex indiciis qualitates aquarum aestimavit; Quae enim cito calescunt & cito refrigerantur, levissimas esse dicit, Plura alia huc spectantia hac vice allegare neque vacat neque lubet.

§. XIII.

Medendi methodum certis quidem regulis, quod *Institutionum* scriptores aliis facere solent, non circumscriptis, abunde tamen indicationibus tam generalibus quam specialibus futurum Practicum instruxit. Eundem nempe informavit non modo de actu purgatorio generatim instituendo, sed & quae & qualia purgare oporteat, ipsam monuit, non neglectis quoque cautelis, quantitatem purgandi moderantibus. Qua vero ratione venaesectionem, cucurbitulas, aliaque remedia administrare oporteat artificem, hinc inde suis quoque monitis ita praemunivit, ut nullibi facile impingere queat assiduus horum praeceptorum observator.

§. XIV.

(o) Lect. V. Aph. 64. (p) Libro de aëre, locis & aquis. (q) Libro proxime allegato.

§. XIV.

In ipsa praxi exercenda nemo *Hippocrate* felicior fuit. Pauca quidem remedia, sed tanto certioris efficaciae in usum vocavit. In plerisque acutis nudus tantum spectator fuisse videtur. Hanc tamen generalem praxeos regulam statuminat: *Contrariorum contraria esse remedia*. Ita plenitudinem sanare docet evacuationem; Evacuationem vero plenitudinem, laborem otium & otium laborem &c. Quique istud omnium optime faceret, is optimus existimandus esset medicus; Qui vero plurimum ab eo praestando abesset, is plurimum in arte medica deficere censendus foret. Huic regulae multas alias ad latus ponit, quales sunt: Multum & subito vel implere vel exinanire vel calefacere vel refrigerare, vel modo quovis alio corpus movere, periculosum. Omne nimium naturae esse inimicum; Modo aperiendum ac dilatandum, modo vero stringendum esse; Illud, ut humores ad excretionem destinati liberiores inveniant exitum: Hoc vero, ut, qui retineri debent, retineantur. Observandum esse humorum cursum, unde non modo veniant, sed & quorsum tendant; Atque adeo modo derivandum, modo revellendum esse. Humores ad exitum destinatos, per loca & organa convenientia ejiciendos esse, neque permittendum, ut, qui vasis suis semel egressi sunt; denuo ingrediantur. Attendendum diligenter esse ad juvantia atque nocentia. Nihil temere faciendum esse. Subinde satius esse, nudum morborum spectatorem sese gerere: Nam utut patientem non juves, eundem tamen quoque non laedes. Denique medicaminibus suos quoque adsignat gradus: Quaecunque enim, inquit, non sanant medicamenta, ea ferrum sanat; Quae ignis non sanat, ea incurabilia judicare oportet.

§. XV.

Plura hac vice allegare non opus est, cum partim in *historiae medicinae universalis periodo quinta* prolixè universales medica *Hippocratis* exposita fuerit, partim vero ex his, tanquam

tanquam materialibus *Institutionum Hippocraticarum* forma, concinnari facile queat.

§. XV.

Pergerem ad *Galenum* presso pede, nisi de *Erotiano*, quem ad scriptores *Institutionum* nonnulli referunt, verbulum monendum esset. Auctor quidem est definitionum medicarum & *Lexicon graecum vocum obscurarum Hippocratis* conscripsit; An vero ideo *Institutionistis*, ut sic barbare cum vulgo loquar, accenseri mereatur, merito dubito.

§. XVI.

Galenus vero majori jure huc referri potest. Ipsemet libro de libris suis, omnibus iis, qui ad artis medicae cognitionem contendunt, primum omnium perlegendum commendat librum de *seclis ad eos, qui introducuntur*, sicuti & libros de *ossibus & pulsibus* dicatos esse introducendis fateatur. Quorsum & libellos duos *isagogicos*, alterum de *arteriarum & venarum*, alterum vero de *nervorum dissectione*, nec non *institutionis empyricae subfigurationem* refert. Huc etiam pertinet liber de *constitutione artis medicae*, nec non *Galeno* adscriptae *definitiones medicae*, uti & *introducilio seu medicus & ars medicinalis*: Ex quibus, ut & *Anatomicis Galeni* libris abunde peti potest, quicquid ad *Physiologicam* medicinae partem spectat.

§. XVII.

Pathologicam doctrinam explicant libri de *morbis & symptomatum differentiis*, de *causis morborum & symptomatum*, de *locis affectis*, de *temporibus morborum*, de *differentia febrium*, de *plenitudine*, de *causis morborum antegressis & continentibus &c.* Artem vero *prognosticam* declarant libri de *diebus judicialibus*, de *crisibus*, item tractatus de *pulsibus*, in quo primum de eorum differentiis, deinde de *pulsuum dignatione*, porro eorum *causis*, tandemque de *praesagiis* ex his sumendis agitur. Hisce jungendus est libellus de *usu pulsuum*, introducendis seorsim scriptus.

Ipsam denique *therapeuticam* illustrant libri de *methodo curandi*, de *curandi ratione* secundum *Erasistratum*, de *tabe* &c. *Diaeticam* vero partem libri de *alimentorum facultatibus*, de *dieta extenuante*, de *boni malique succi cibis*, de *dieta in morbis acutis* &c. egregie perficiunt. Quae tamen omnia prolixius hac vice non discutiam, singula suo loco reservaturus, quando universum celeberrimi hujus post *Hippocratem* principis medici systema in *historia medicinae universali* à me explicabitur.

§. XIX

Contemporaneus *Galen* fuit *Soranus*, *Ephesius*, qui, ut *Wolfgangus Justus* refert, temporibus *Trajani* & *Adriani*, Imperatorum Romanorum floruit. Ab aliis *Peripateticus* & vetustissimus archiater dicitur, qui, *Suida* Auctore, *Alexandriae* primum perfecit, deinde *Romam* venit ibidemque praxin medicam, regnantibus modo dictis Imperatoribus, exercuit. Haereseos *Methodicae* strenuus sectator fuit. Scripsit equidem in artem medicam *Isagogen*, quae cum medicorum antiquorum operibus exstat: Ast cum scripta ejus maximam partem perierint, ex *Coelio Aureliano*, ejusdem interprete, discendum est, quidquid ad hypotheses ejus spectat. *Scriptum* autem & *laxum* supposuisse, & ex hisce principiis omnia de duxisse *Methodicos*, ex dicto *Coelio Aureliano* satis innotescit. An inter genuina Sorani referenda sit haec in artem introductio, quae ipsi vindicatur, cum nemine quidem acriter contendam: Sufficiat mihi, placita ejus breviter exposuisse, prout dicta in *introductione* leguntur. De primis artis inventoribus sic differit: Medicinam quidem invenit APOLLO, amplificavit AESCULAPIUS, perfecit HIPPOCRATES. Describit deinde medicum tyronem, qualem tam ratione animi quam corporis eum esse oporteat, eidemque praeter *grammaticam*, *rhetoricam* & *arithmetica* etiam *astrorum scientiam* commendat, ut nempe eorum ortus & occasus & motus
& tem-

& tempora anni cognoscant, quia cum ipsis & corpora nostra permutantur, & eorum mobilitate & perturbatione aegritudines in hominibus commoventur. Imo nec *philosophiae* expertem eundem esse debere, serio injungit. Uti quatuor sunt anni tempora: Ita in totidem partes corpus hominis distingvit, *phlegma* nempe, *sanguinem*, *cholera rubeam* & *nigram*. *Phlegma* in capite, *sanguinem* in pectore, *cholera rubeam* in ventre, & *nigram* in vesica residere, & ex hisce 4. humoribus totum corpus constare, credit, quorum quilibet suis locis dominetur, ita ut sanguinis virtus sit circa cor, cholera rubea dominetur in hepate, nigra vero in liene, & phlegmatis alia pars sit in capite, alia in stomacho. Hosce humores sua quoque habere emunctoria, nempe sanguinem per nares, cholera rubram per aures, nigram per oculos, & phlegma per os & nares excerni, ulterius docet, monetque, singulos per singulas dominari aetates. Iidem quatuor humores ipsi quoque sunt quatuor corporis elementa, à quorum etiam varia habitudine varii morbi inducantur. De virtute seu potentia animae sic sentit: Eam totum corpus regere atque ideo triplici virtute, *ζωτικῇ*, *τρεπτικῇ* & *ψυχικῇ* instructam esse. *Ζωτικῆν*, vult, esse virtutem vitalem, quae vitam membris vel toti corpori elargiatur atque in corde consistat; *Τρεπτικῆν* eam adpellat vim, quae partem tribuit membris corporis; Et *Ψυχικῆν* eam adpellat animae virtutem, quae sensum faciat motumque & in capite, i. e. in cerebro residet. De conceptione mulieris hunc sibi format conceptum: Fieri illam viri semine & mulieris sanguine, quamvis & ipsum semen virile sanguinem esse existimet; Unde & majores hos vere cognatos vocaverint consanguineos. In morbis, praecipue vero in febribus, quatuor distincta agnoscit tempora, nempe initium, augmentum, statum atque declinationem; Quae si non intellexerit medicus, graviter eundem homines laesurum esse existimat.

§. XX.

Inter commentatores vero *Galen*i referendus est *Haly Rodobam*, alias *Eben Rodan* dictus, Aegyptius, physicus ac medicus praestantissimus, qui, *Wolffgango Justo* teste, sub *Henrico II.* & *Conrado II.* Imperatoribus Romanis vixit. Edidit autem commentarios in artem parvam *Galen*i, qui deinde variis formis hic & illic recusi sunt.

§. XXI.

Ejusdem magni hujus viri, *Galen*i placita successivis temporibus multi alii medici amplexi sunt, & diffusissima ejus opera in compendium redigere adlaborarunt. Quorum pertinet *Franciscus Valleriola* seu *Variola*, qui seculo decimo quinto artem medicam *Augustae Taurinorum* magno omnium adplausu docuit. Praeterquam enim, quod commentarios tam in librum *Galen*i de constitutione artis medicae, quam in sex libros ejusdem de *morbis & symptomatis* ediderit: Fundamenta quoque artis medicae secundum *Galenum* concinnavit, in quibus, cum presso pede *Galenum* secutus fuerit: Hinc uberiore eorum, quae dictis in fundamentis praestitit, enarratione possumus superfedere.

§. XXII.

Eodem jure huc quoque pertinet *Hieronimus Thriverius*, qui eodem seculo floruit & medicinam in *Academia Lovaniensi* publice professus est. Commentarios edidit non modo in tres libros *Galen*i de temperamentis & unum de inaequali intemperie, sed & in ejusdem *τεχνην*. Praecipue vero ejusdem filius, *Dionysius Thriverius*, ab obitu Patris universae medicinae brevissimam & absolutissimam methodum in publicum emisit, quae *Institutionum* formam haud injuria tueri posset.

§. XXIII.

Neque hic omittendus est *Nellanus Glacanus*, *Tirconalliensis* Hibernus, qui *Libris XIII.* integrum cursum medicum proposuit & in tres tomos divisit, quorum prior *physiologiam*

logiam & prolegomena, secundus *pathologiam* seu descriptionem morborum, causarum morbificarum & symptomatum, ac tertius *semeioticam* profequitur, in qua potissimum de signis, crisibus, pulsibus & urinis agitur.

§. XXIV.

Jungimus huic *Johannem Dominicum Maglioccam*, Parthenopolitanum, qui ea, quae argumentum nostrum respiciunt, tribus partibus disputationum medicarum, *physiologicarum*, *aetiologicarum*, *semeioticarum* ac *therapeuticarum* complexus est. Quorsum etiam spectant, quae *Hieronymus Ximenes*, *Caesar-Augustanus*, hac de re commentatus est.

§. XXV.

Delineata sic *institutionum medicarum*, qualis *Hippocratis* & *Galen*i aetate fuit, facie; Liceat paucis quoque eam adumbrari *Arabum medicorum* temporibus. Praeoccupavit quodammodo hunc laborem *Antonius Deusingius*, Med. ac Phil. D. inque Academia provinciali Groeningae Omlandiaeque; Prof. Primar. & provinciae Med. Ord. qui *canticum* principis *Abi-
Alis*, *Ibn Sinae*, vulgo *Avicennae* dicti, de *medicina*, sive, ut *Deusingius* interpretatur, *breve, perspicuum & concinne digestum* institutionum medicarum compendium, ex arabico latine versum, una cum *Johannis Mesuaci*, Damasceni aphorismis medicis nobis reliquit; Ex quibus duobus opusculis, tanquam totidem speciminibus admodum luculenter adparet, qualis medicinae status ista tempestate, qua ingens regnabat barbaries, extiterit.

§. XXVI.

Natus est *Avicenna* in pago quodam *Bocharensi*, nobilitas regni *Bocharensis* ideo cognominatus; Attigit annum aetatis 88. cum 7. mensibus, tandemque colica gravissima correptus, *Hamedanae* obiit ibidemque sepultus est. Lethalem fore passionem hanc colicam, ipse praedixit, eaque de causa omnem sui curationem rejecit, dicens: *Moderator,*

qui in corpore meo est, debilior est, quam ut possit corpus meum moderari; quare non prodest medicatio.

§. XXVII.

Opusculum ipsum *cantici* seu *carminis rhythmi* forma concinnatum est, quod praelaudatus *Deusingius*, *arabicae* pariter ac *turcicae* ut & *persicae linguae* peritissimus, ex arabico in latinum sermonem vertit, sicque digessit, ut in parte *medicinae theoricæ*, tradita primum constitutione artis generali seorsim in *physiologia de elementis, temperamentis, humoribus, partibus, spiritibus, facultatibus & functionibus*; In *hygiene* de sex rebus non naturalibus, in *pathologia* de morbis eorumque causis & symptomatis & in *semeiotice* de signis tam *diagnosticis* quam *prognosticis* ageretur: In parte vero *practica* praeter regimen sanorum & aegrotantium curatio morborum tam per medicamenta & cibos, quam per *chirurgiam* sifteretur.

§. XXVIII.

Verum ut specialius nobis innotescat, qua ratione *theorica Avicennae* cum ipsa ejus *praxi* cohaereat, praecipua ejus placita brevissimis excerpta exhibebimus. In ea *theoriae medicae* parte, quam *physiologiam* vocamus, huc fere redeunt ejus sancita: Elementa agnoscit quatuor, aquam nempe, ignem, terram & aërem, idque ejus rei indicium ipsi est, quod corpus, si quando intereat, ad ea necessario revertatur. Temperamenta itidem quatuor, nempe simplicia constituit, *calidum, frigidum, siccum & humidum*; Quam doctrinam in curatione multum juvare medentem, sponte fatetur, sicque ab *Ammanno* plane diversa suo jam tempore sensit, qui eam officere potius quam prodesse existimavit. Humores, ex quibus corpus sit conflatum, cum *Galeno* eosdem admittit, scil. *phlegma, bilem flavam, sanguinem bilemque atram*. Nec alienus est ab hypothese *spirituum*, quos in tres familias distingvit, quarum primam *naturalis*, ex vapore blando puroque constans, componat, alterum *vitalis*, qui in corde purificatus vitam praestet, ac tertiam *animalis*, quod
genus

genus *spirituum* in plexu retiformi praeparetur, & per quem sensus & intellectus existant. Et prouti tres *spirituum* tribus agnoscit: Ita totidem quoque *facultates* admittit, *naturalem* nempe, *vitalem* & *animalem*.

§. XXIX.

Eodem plane modo in *pathologia* sese gerit, res omnes praeternaturales ad *aegritudines*, earundem *causas* & *symptomata* referendo. Morbum ipsum à quacunque quidem causa in corpore accidere posse autumat, plerosque tamen, exceptis morbis solutionis continui, à praedominantibus quatuor qualitatibus, *calido*, *frigido*, *humido* atque *siccò* derivat.

§. XXX.

Pathologiae ipsa quoque *therapevtice* examussim respondet, quam describit, esse operationum speciem unam, quae rei occurrat per id, quod ei contrarium est. Nimirum, si morbus fuerit à calore, per frigus, aut si fuerit à frigore, per contrarium calorem; aut, si fuerit ab humiditate, per siccitatem, si vero fuerit à siccitate, per contrariam eum vult curandum humiditatem. Ita porro repletionem putat profligari per evacuationem; Si ab obstructione ortum traxerit aegritudo, sanandam eam esse arguit per apertionem in eo, quod oclusum est, & sic in caeteris. An vero tali ex systemate vel aegrotantes vel medici ipsi multum solatii sint petituri, aliis curatius dijudicandum relinquo.

§. XXXI.

Qui vero haec medicorum Arabum dogmata juventuti tradere fategerunt, eidem quoque de *Institutionibus*, prospicere adlaborarunt, quorum in numero est *Georgius Kraut*, Hagenoënsis, quique libellum introductorium de principiis universalibus totius medicinae tam theoricæ quam practicae ex *Avicennae* aliorumque doctrina digessit & tabulis maximam partem illustravit. Prodiit in folio
cum

cum *Galeatii de S. Sophia* in nonum *Rhasis* commentariis ab eodem emendatis.

§. XXXII.

Huic subjungimus *Andream Gratiolum*, *Salodianum*, qui primum *Avicennae* librum de universalibus medicae scientiae praeceptis interpretatione ac scholiis, *Hippocratis* atque *Galen*i praecipua loca commonstrantibus, illustravit.

§. XXXIII.

Ad scripta autem veterum, inprimis *Hippocratis* & *Galen*i recte intelligenda suas digessit *Institutiones Leonardus Fuchsius*, qui partim in *Ingolstadiensi*, partim vero in *Tubingensi Academia* cum laude artem medicam publice professus est. Strenuum fuisse *Galen*i sectatorem, ipsemet ingenue confitetur, additque titulo, institutionibus ejus praefixo, illas ad scripta *Hippocratis*, *Galen*i aliorumque veterum recte intelligenda mire utiles esse, id quod etiam citra vanam advertisementem facile concesserim. Coeterum scriptorum *Arabum* tam superbus contemptor tamque acris insectator fuit, ut nullam illorum dogmata profligandi vel explodendi occasionem facile praetermiserit.

§. XXXIV.

Comprehenduntur vero *Institutiones Fuchstanae* quinque distinctis libris, in quorum primo de medicina generatim, & sectione quidem prima de medicinae origine, incremento, perfectione, praestantia, definitione, methodo tractandi & partibus, quibus universa scientia constat, differitur, nec non de medicorum sectis, distributione artis in tres distinctos ordines, quorum primus earum est rerum, quae corpus humanum constituunt, quasve naturales vulgo adpellant, uti sunt quatuor vulgaria elementa, temperamenta, calidum, frigidum, humidum & siccum, humores itidem, ceu sunt pituita, sanguis, bilis tam flava quam atra, nec non partes humani corporis, quales sunt caro, os, membra-

membrana, nervus, vena, arteria, cor, jecur, caput atque manus, ipsaeque facultates & actiones, uti sunt vitalis, naturalis & animalis, tandemque spiritus, quos tanquam instrumenta actionum considerat, atque in animales, vitales & naturales distingvit; Quae omnia sectionibus sequentibus ad octavam usque prolixius profequitur.

§. XXXV.

In *libro secundo*, pertractantur res vulgo dictae *non naturales*, quae, licet naturam & constitutionem corporis humani non ingrediantur, nec ejusdem essentiam compleant, illud tamen alterant, ac, nisi oportune ac salubriter adhibeantur, sanitatem & naturam hominis destruant, uti sunt aër, corpora nostra ambiens, cibus & potus, motus & quies tum universi corporis tum singularum ejus partium, & vigilia, excretio & retentio, quorum omnium agmen claudunt perturbationes animi.

§. XXXVI.

Tertio libro sistuntur res praeter naturam, ubi morbi non modo natura in genere, sed & ejusdem causae atque differentiae secundum partes similes & instrumentarias declarantur, addida definitione symptomatis in genere ejusdemque differentiis, nec non febrium omnium brevi ac dilucida explicatione, quam enarratio vitiorum capitis, thoracis, abdominis & articularum subsequitur.

§. XXXVII.

Libro quarto agitur de signis medicis, quam *Institutio-*
num partem alias *Semeioticam* vocare consueverunt, ubi non tantum de signorum utilitate variisque eorum generibus, sed & de temporibus morborum eorundemque usu & dignotione differitur, subjuncta tractatione de crisi-
bus seu judiciis sive bonis sive malis, tam praesentibus quam futuris, eorundemque notis atque indiciis, de eorundem differentiis & modis solutionum in morbis, num per excretionem

vel abscellum futurum sit iudicium, ac denique de diebus decretoriis, quaeque mortis citra iudicium futurae notae sint, imo, qua ratione ipsius mortis dies & hora praecognoscenda sit? Quod ultimum curiosa disquisitione non est indignum & magnam insuper famam atque auctoritatem medico conciliare potest. Cumq; non minus urinarum perita atque prudens inspectio plurimum momenti conferat ad morbos quosdam tum cognoscendos, tum ad eventus eorundem circumspicte dijudicandos: Hinc de urinis succinctam adhuc tractationem subiecit atque ostendit Auctor, non modo, qua ratione illa inspicienda sit, sed &, quid varii urinarum colores, consistentia, quantitas, innatantia ramenta, capilli, aliaque corpuscula in urina dispersa, bullae & contenta varia eorundemque loca portendant? Ac denique, cum ex egestionibus quoque, v. g. sputo, sudore &c. varia praedici queant: Hinc earundem varias significationes exponere consultum duxit, ita tamen, ut pulsuum quoque doctrinam breviter perstringeret, quae quippe pariter est ex numero earum rerum, ex quibus futura medici praesagire solent.

§. XXXVIII.

Restat quinta & postrema *Institutionum Fuchsianarum* pars, quam de curandi ratione inscripsit, alias vero *therapeutica* vocari consuevit. In hac non modo generatim tradit, quid sit indicatio, coindicatio & contraindicatio, sed &, quid morbi natura & temperamentum, vires insuper, consuetudo, aetas, regio, tempus anni & constitutio coeli, laborantis partis conditio & alia talia speciatim indicent? Quid insuper perito Practico faciendum incumbat, contrariis ipsi indicationibus occurrentibus? Quam totam tractationem commendatione scriptorum quorundam, ex quibus mendendi praecepta haurienda sint, obsignat.

§. XXXIX.

Quanquam autem hisce omnibus aditum planum ad
veterum

veterum scripta & fructuose legenda & recte intelligenda patefecerit *Fuchsius*, qui etiam unicus ejus scopus fuisse adparet: Attamen ab erroribus immunem mansisse eundem, praeter multos alios jamdudum animadvertit *Conringius*. Is enim *Fuchsius* imputare non veretur, quod ob solam Philosophiae ignorationem in gravissimum istum errorem imprudenter prolapsus sit; *Mortem esse substantiam*: Quo ipso tamen universam Pathologiam non parum turbaverit; Fuisse caeteroquin acerrimum *Galeni* defensorem & calcasse eundem vestigia quorundam Italorum, qui ne latum quidem unguem ab *illius* placitis recedere ausi sunt, atque adeo in Magistri hujus verba quasi jurarunt. Hanc tamen ipsi laudem neque invidet neque detrahit, quod profulgatis explosisque *Arabibus*, artem medicam ex *Galeno* desumptam primus in Germania repurgaverit, & quod proinde magna injuria manibus Juvenum excutiantur ejus scripta, quum Patrum avorumq; memoria doctissimi quique tum Itali Gallique tum Hispani cum eo disputare non erubuerint, id utique, *Conringii* judicio, non facturi, nisi praeclara eum doctrina instructum fuisse, sibi persuasisent.

§. XL.

Ianus *Cornarius*, ab aliis *coronarius* dictus, seculo decimo quinto vixit & *Hippocratis*, *Galeni*, *Aetii*, *Aeginetae* aliorumque veterum medicorum scriptorum versione in sermonem latinum, id quod ante ipsum nemo ausus fuerat, magnam sibi famam comparavit. Praeter multa alia scripta, quorum seriem in *Lindensio renovato de scriptis medic.* legi licet, etiam *ἐπιγραφήν* seu enumerationem universae rei medicae edidit, quae indoli temporum, quibus vivebat, est adcommodata.

§. XLI

Spectat huc *Bassiani Landi*, qui *Montani* discipulus ac postea in Gymnasio Patavino collega fuit, iatrologia seu dialogi II. quibus universae artis medicae, praecipue ve-

ro morborum omnium & cognoscendorum & curandorum absolutissima methodus sistitur.

§. XLII.

Eodem seculo floruit *Hieronymus Montuus*, qui compendiolum curatricis scientiae edidit, indoli temporum, quibus vivebat, pariter adcommodatam.

§. XLIII.

Hujus quoque loci est *Leo Suavius*, qui *Theophrasti Paracelsi* philosophiae & medicinae universae compendium ex optimis quibusque ejus libris cum scholiis in libros IV. ejusdem de vita longa, mysteriorum, ut sibi blanditur, plenos in publicum emisit.

§. XLIV.

Pertinet ad eadem haec tempora *Johannes Crato à Crafftbeim*, Wratislaviensis, trium Imperatorum Romanorum archiater, consiliis medicis, quae edidit, admodum clarus, qui philiatorum conatus adiutorus, non solum *isagogen medicinae*, sed & *μικροτεχνην* seu parvam artem medicinalem edidit; Quibus in scriptis principia artis tradere adlaboravit.

§. XLV.

Idem argumentum explicandum sibi sumpsit *Laurentius Scholtzius à Rosenow*, Wratislaviensis, Silesius, consiliis & epistolis medicinalibus, quas edidit, clarus, & felix *Crazonis* imitator, cujus etiam consilia & epistolae medicinales, ut in publicum prodirent, ipse curavit. Reliquit vero etiam, qui propius ad rem nostram spectant, *aphorismos medicinales*, cum theoreticos tum practicos, quibus universam artem succincte & forma aphoristica tradere adlaboravit.

§. XLVI.

Ernestus Fridericus Fabricius medicinae utriusque tam Galenicæ quam Hermeticæ anatomen philosophicam exhibuit, qua brevem, & succinctam & perspicuam absolutae

lutae artis medicae sciagraphiam oculis subjicere conatus est.

§. XLVII.

Eodem studio flagravit *Simeon Partlicius, de Spitzberg*, qui universi systematis medici harmoniam meditatus est, in qua nova plane & ut titulus habet, artificiosa discendae & exercendae medicinae methodus per brevia praecepta traditur, per canones selectos illustratur, & commentaria dilucida explicatur; Elucubratum est opusculum ex dogmaticorum aequae ac hermeticorum scriptis, assiduis vigiliis & accurata theoricae & praxews observatione comparatum.

§. XLVIII.

Ad eandem hanc scriptorum seriem pertinet *Petrus Severinus*, qui ideam medicinae philosophicae, fundamenta continentem totius doctrinae *Paracelsicae, Hippocraticae & Galenicae* orbi erudito exhibuit; Quam *Wilhelmus Davissonus* non modo commentariis illustrare, sed & praeter *Paracelsicas, Hippocraticas & Galenicas*, etiam *Platonicas* doctrinas explicare cordi habuit. Quas omnes in unam & harmonicam conspirationem redigere, non levis sane negotii res est. Taceo, rem medicinae admodum nocivam atque damnosam esse, philosophicis doctrinis eandem superstruere velle, quae quippe eam certissime confundunt & alienis obruunt.

§. XLIX.

Johannes Pancratius Bruno, Altdorffinus, Lexici medici *Castelli*, quod renovavit, à plurimis mendis & vitiosis allegationibus repurgavit, & innumerorum pene vocabulorum accessione locupletavit, editione satis notus, non modo *Casparis Hoffmanni* isagogen medicam edi curavit, sed & manum ipse operi tali admovit, in publicum emittendo praecepta medicinae generalia, quae in ordinem redegit, à rebus extraneis, quibus prohdolor! referta, depuravit, & ad vera artis medicae principia adcommodavit. Etiam si autem in permultis scopum, quem praefixum sibi habuit, non ubique obtinuerit: Voluntas tamen est laudanda.

§. L.

Mauritius Hoffmannus, itidem *Aledorffius*, in inclyta Norimbergensium Universitate P. P. *institutionum medicinae*, quas laudabili exemplo in cathedra disputandas publice proposuit, nova methodo concinnatarum, & ex natura sanguinis deductarum, *synopsin* nobis reliquit, in quibus & artem breviorē & vitam simul longiorē polliceri ausus est. Uti vero prius discentibus admodum gratum: Ita posterius potissimum est, quod plerique in votis habent, nihil obstantibus aerumnis, quibus vita humana communiter exposita est.

§. LI.

In praefatione, opusculo praemissa, conquestus est, famam suam, quam, ut ipse loqui amat, praedones quidam ipsi suffurari fuerant conati, varias ipsi absurditates ad fingendo, rodi ac fugillari. Titulus scripti hic est: *Prudentiae medicae ex sanguine pro salute mortalium agendorum rationes, exponentis fundamenta, disputationibus publicis proposita*. Statuit is, ex sanguine, animam cum corpore jungente, vitamque ac valetudinem promovente, & cujusque *ιδιοσυμπασια* constituyente, omnem vitae sanitatisque rationem derivandam esse: Unde non modo *omnipraesentiam* & *omnipotentiam* eidem adscribit, sed & varias differentias illi adfingit, aliusque illi sanguis *cephalicus* & *epilepticus*, alius *pectoralis* & *phibiscus*, alius *hypochondriacus* & *scorbuticus*, alius *nephriticus* & *arthriticus* & alius denique *spermaticus* & *hystericus* dicitur. Provocat hinc ad experientiam, quam XLIV. annorum spatio partim docendo, partim medendo sibi adquisiverit; Nec ipsum unquam poenituisse, addit, huic methodo constanter inhaesisse: Hanc enim se fideliter secutum, semper cum successu praxin medicam exercuisse adseverat. An veri quippiam sub hac fama, quae malum est, quo non deterius ullum, latuerit, ex hoc specimine dijudicent alii. Aures ferire phrasēs, *omnipotentiam* & *omnipraesentiam* tribuere sanguini, negandum non est. Sed audienda est suis exceptionibus & explicationibus altera pars.

§. LII.

§. LII.

Andreas Buxbaum, catechesin medicam, per modum dialogi propositam edidit, ex qua in arte medica initiandos artis principia, neotericorum hypothefibus adcommo-
data, facili negotio addiscere posse pollicetur.

§. LIII.

Iohannes Riolanus, Ambianus, Pater, quem *Merklinus* in *Lindenio renovato*, doctrinae Hippocraticae adversus chymistas acerrimum vindicem vocat, universae medicae compendium seorsim primum evulgavit, quod tamen deinde cum operibus ejus junctim editum est.

§. LIV.

Iohannes Daniel Horstius, praeter Anatomica varia, etiam manu-ductionem ad medicinam reliquit, quam studiosae Juventuti in Academia Marpurgensi praelegit. Sicuti *Henricus Regius*, de Roi alias dictus, Ultrajectinus, fundamenta medicinae in *Ultrajectina* suos docuit. Iungimus huic *Olaum Wormium*, Arhusiensem Cimbrum, qui in Haffniensi Danorum Academia institutionum medicarum compendium, quod emisit, publice praelegit.

§. LV.

Petrus Servius, Spoletinus, institutionum Libros IV. quibus tyrones ad medicinam manuducuntur & informantur, edidit, una cum duabus prolusionibus, ad instruendos inflammandosque ad artem tyrones adcommo-
dati.

§. LVI.

Similiter *Sebastianus Meyerus*, Landsbergius, institutio-
nes medicas concinnavit, de quibus ipse praedicare non dubitat, eas omnes medicinae locos solidaque totius artis fundamenta distincte, breviter ordineque complecti, imo & quibusvis litteratis proficuas esse.

§. LVII.

§. LVII.

Georgius Wolffgangus Wedelius, multis scriptis clarus, theorematum medica seu introductionem ad medicinam, certis theorematibus, juxta ductum institutionum medicarum absolutam, ad legendum aequae ac disputandum, quae laudabilis ejus consuetudo erat, proposuit. In praefatione, adducturus causas, cur, tot scriptis in lucem editis, non magnum aequae incrementum ceperit medicina, quin nec illa stabilita satis sint, quae fundamentorum loco instillari animis discipulorum solent, haec potissimum refert: Partim, quod complurium sententias citra iudicium compilasse novus saepe liber vocetur, partim, quod vetusta sordideant, & paradoxa saltem novitatis specie arrideant; Quod porro eadem merces diversis saltem fornicibus expositae inveniantur, ut, dum aliam quaeras, eandem invenias; Quod jurare in verba magistri plurimi consueverint, quod controversius tempus teratur, iisque veritas saepe obnubiletur potius, quam in lucem exponatur; Ex quibus singulis infert *Wedelius*: Medicinam in quam plurimis nihil fuisse aliud in hoc usque seculum, quam continuam novationem in antiqua ignorantia. Quae etiamsi lubens suo loco relinquam, & aphoristica haec forma, qua *Hippoc.* non infeliciter est imitatus, captui discipulorum eximie sit adaptata, fatendum tamen libere est, multa fermentum veterum de calido innato, humido radicali, flammula vitali, spiritibus &c. redolere, de quibus merito dubitandum, an delicato modernorum palato sint placitura.

§. LVIII.

Eadem aphoristica forma conscripta quoque est *Sanctorii à Sanctoriis* medicina statica, quae una cum *Martini Listeri* commentario VII. aphorismorum sectionibus comprehensa Lugduni Batavorum A. 1703. iterum prodiit.

§. LIX.

Inter opera medica *Gregorii Horstii*, senioris, reperiuntur quoque imo potius reliquis eorum partibus praemissae

fae sunt *institutiones medicae*, XX. disputationibus comprehensae, in quarum IV. primis de medicina in genere, de elementis ac temperamentis, de partibus H. C. earumque actionibus, de anima ejusque facultatibus nec non de sanitate C. H. egit. A quinta ad undecimam usque morbi indolem in genere una cum praecipuis suis differentiis discussit, nec non causas tam morborum quam symptomatum ad examen vocavit. *Duodecima* & sequentibus disputationibus de signis tam diagnosticis quam prognosticis disseruit; *Decima septima* egit de methodo medendi in genere, & *vigesima* demum materiam medicam breviter ob oculos posuit.

§. LX.

Ut vero singulas hasce *institutionum* partes percurramus, & quid in illis contineatur, in synopsi exhibeamus, nec propositum nostrum patitur, nec opus est, cum, quid de *Horstianis* hisce *institutionibus* sentiendum sit, philiatrī nostri ex uno vel altero specimine intelligere & aestimare nullo negotio possint. Ia v. g. ut ex sola *physiologia* aliqua tantum exempla proponamus, quaerit is, an medicina sit scientia, & si hoc, an illa sit theoretica vel practica? An C. H. sit medicinae subjectum? Et an illud unico vel pluribus medicis sit committendum? Quot sint elementa, & quot inter illa calida, quot frigida? An elementa sint in mixtis actu secundum formas substantiales? An complexio sit substantia? An melancholicus, vel is, qui justitiale temperamentum habet, propior sit aequalitati ponderis? Et quae sunt ejus farinae plura, ex quibus an multum solatii sit petiturus medicus tyro, aliis mature perpendendum relinquo.

§. LXI.

Jobannes Beverovicus, Dordracenus Belga, ideam medicinae veterum secundum ductum *institutionum medicarum* quidem concinnavit, cujus tamen hic neutiquam eo fine mentionem facio, quasi crederem, philiatros ex ejus lectione in medica scientia proficere multum posse, sed ut specimen

E

aliquod

aliquod ipsis exhiberem, quod in litterarum humaniorum cultura, cum medicina conjungenda, ipsi imitarentur. *Beverovicium* nostrum, qui diligens magni illius litteratoris, *Vossii*, discipulus & auditor fuit, tantus litterarum elegantiorum amor ceperat, ut, cum deinde ad medicinam addiscendam, hortatu *Vossii*, serio sese adplicaret, philologiae studium ex animo suo dimittere difficulter posset: Quare, quaecunque apud utriusque linguae, graecae pariter ac romanae, poetas, philosophos, historicos, oratores, philologos, artem medendi tangere videbantur, inter legendum ita notavit, congeffit & disposuit, ut ea, quae praedictis antiquorum scriptis dispersa esse viderentur, ratione & distributione sub uno aspectu ponerentur: Unde ex non medicis nata est idea medicinae veterum, quam hoc nomine donavit Auctor, quod nulla artis parte omissa referat, quicquid de singulis antiquitus creditum est. Quisquis ergo librum hunc sedulo evolverit, nullo fere negotio brevi tempore addiscet, quod alii vix diuturna antiquorum lectione acquirere sibi poterunt.

§. LXII.

Carolus Witestein, sive à *petra alba*, *Placentinus*, veram totius medicinae formam ad *Serenis*. *Alexandrum Farnesum*, *Placentiae* & *Parmae* Ducem perscripsit, ita quidem, ut, cum varia sint hominum ingenia, aliis nuda veritate contentis, aliis vero disceptationes & subtiliora requirentibus, in textu omnia, quae ad artem ipsam necessaria visa fuere, adducerentur, in margine vero, quae tum delectatione tum speculatione animae satisfacerent, adderentur.

§. LXIII.

Forma haec medicinae talis est: Praemissis paucis de ejusdem inventione & constitutione generali, agit primum de elementis, quae cum *Aristotele* numero quatuor, non plura, nec pauciora agnoscit, nempe ignem, aërem, aquam atq; terram. De temperamentis agens, tantam ex ingeniosa horum investigatione utilitatem pollicetur medico, ut, quicquid

quid universa ars medica magni habet, inde originem suam ducat: Cum sine illis nulla corporis sani, vel aegri vel quod neutrum dici posset, vera sit cognitio; Nulla medendi methodus, nulla universalis cognitio artis formari possit; Nil praedicere, nil denique cum dignitate medicus facere, ejus doctrinae ignarus queat &c. Videant igitur recentiores, ne in hodierna artis medicae luce pudore suffundantur à scriptore, qui lumine hoc destitutus, de usu tamen doctrinae hujus longe saniora illis cogitata fovit.

§. LXIV.

Johannes Nicolaus Stupanus, Hungarus, M. D. ejusdemq; in *Academia Basileensi* Prof. P. medicinam theoreticam, ex *Hippoc.* & *Gal.* physiologicis, pathologicis & semeioticis libris in theses contraxit summatimque ad disputandum publice proposuit, ratus, ea melius inter disputandum intellectum iri, quae primum audiendo minus distincte comprehensa fuerint. Itaque laudabili hoc suo exemplo jam ante integrum, & quod excurrit, seculum aliis praeivit, qui eandem hodieque viam ingrediuntur, ac disputando praecepta medica aliis clariora reddere adlaborant.

§. LXV.

Praemisit autem *practicis* artis partibus *theoreticas*, quae quippe naturae ordine *illis* sunt priores, & *practicis* scientiis fundamenta subministrant. Eas vero sic digessit, ut, expositis in parte *physiologica* praeliminaribus de medicinae praestantia, ejusdemque sectis, speciatim de arte empiricorum, dogmaticorum & methodicorum, & in quibus inter se mutuo convenient vel differant &c. libro *secundo* de elementis, *tertio* de natura hominis secundum *Hippocratem* itemque de officina sanguinis venarumq; principio, ac *quarto* de temperamentis agat. Hinc partes C. H. compendiose recenset, atque tunc demum animae humanae facultates & functiones animales ac vitales tandemque naturales earumque actiones & instrumenta exponit, totiq;

tractationi finem imponit doctrina de spiritibus, quibus animam ad functiones suas edendas uti, suo jam tempore credidit; Ut vehementer miremur, dogma hoc à nonnullis *Stablio* ceu inventori tribui, & *naturam* hanc ridicule *Stablianam* vocari, cum *Aristoteles* una cum universo *Peripateticorum* choro animam humanam ceu principium universale omnium actionum, in C. H. observandarum agnovit; Qua de re alibi latior differendi campus nobis aperietur.

§. LXVI.

In *pathologica* theoriae medicae parte proponit ante omnia sanitatis morbique essentiam primaque morborum genera, progreditur hinc ad causas eorundem universales explicandas indeque symptomatum differentiis maxime principalibus enarrandis sese accingit, tandemque causis symptomatum, tam penes laesas actiones sensitivas & motrices, quam etiam naturales, immoderatas nempe excretiones, retentiones affectusque corporis consistentium postremum tribuit locum.

§. LXVII.

In *tertia* theoriae medicae parte *semeioticam universalem* proponit, & quamvis signa distingvat in *salubria* & *neutra*, omnibusque suam competere utilitatem, sponte fateatur, *insalubrium* tamen rationem potissimum habendam esse docet, quod horum *tanto evidentior usus existat, quanto magis conspicua est medici actio, in abigendis morbis occupata, quam ea, quae in sanitate tuenda, praeservandisq; morbis versatur.* Uti vero reliqua omnia ex *Hippoc.* & *Gal.* scriptis hausit: Ita ex iisdem fontibus quoque deprompsit, quae in *semeiotica* tradit.

§. LXVIII.

Pertinet huc *Johannes Fernellius*, vulgo *Ambianus* dictus, qui, licet *Claramontio* oppidulo natus & educatus esset, *Ambianus* tamen suis in operibus ideo dici maluit, quod *Patrem* inde oriundum habuerit, sicuti pleraque *vitae Fernellianae*

hanae memorabilia *Guilielmus Plantius*, ejusdem familiaris, non sine facundia nobis exposuit. Suas autem *medicinae Institutiones*, ut plerique alii facere consueverunt, a *physiologia* auspiciatur, quam integris septem libris declarare contendit. In primo eorum non modo partium humani corporis tam simplicium quam compositarum descriptionem una cum earundem usu sistit, sed & ipsam confectionis rationem more Anatomicis solemni exhibet, suadendo ei, qui dictatum partium historiam consequi cupit, ut alio in cadavere musculorum, in alio ossium exsiccatorem aptisque compagibus revinctorum, in alio viscerum internorum, in alio venarum, in alio arteriarum ac denique in alio nervorum confectionem instituat. Atque in hac partium humani corporis historia firmissimum artis medicae fundamentum positum esse confidit, quia eadem plane necessitate, uti ad historiae fidem Geographia; Sic ad rem medicam corporis humani descriptio pernoscenda est.

§. LXIX.

Quo vero tyronibus artis utilior est historia partium humani corporis: Eo sterilior est doctrina de elementis, quam *libro secundo* exhibet: Illud enim profecto studia Philiatorum parum admodum promovebit, sive sciant sive ignorent, quae medicis in corpore partes elementa, quaeque principia dici debeant? Quibus rationibus terra, aqua, aër & ignis omnium rerum elementa dicantur? Et quomodo corpus hominis, ut caeterorum omnium, ex quatuor elementorum concretionem nectatur & contineatur? Qua ratione elementa inter sese mutuo permisceantur? Utrum eorum substantia, an qualitates solae totis totae perfundantur? Neque multum illos solabuntur acriores disputationes adversus Juniores institutae, qui elementorum solas vires, non vero substantias nobis inesse, existimarunt; Et quae sunt ejus farinae plura, quae, sive sciantur sive ignorentur, arti sane feliciter addiscendae parum vel nihil velificabuntur.

Quae in *tertia* Physiologiae suae parte de temperamentis disseruit *Fernelius*, longe utique majorem sponderent utilitatem, si condigne pertractata essent. Jam vero per temperamentum nihil aliud intellexit, quam concentum quendam quatuor principum qualitatum, ex omnium elementorum permissione ortum. Cumque quatuor tantum sint, ex quibus temperamentum conficitur: Hinc singulorum exuperatione simplices quatuor creari temperaturas concludit, nempe *calidam, frigidam, humidam & siccam*; Similiter quatuor conjugatas esse temperaturas, quae duarum simplicium exuperatione procedant seque efferant, nempe *calidam & humidam, calidam & siccam, frigidam & humidam, frigidam & siccam*. Caeterum innumeras esse particulares temperamentorum differentias non diffitetur. De *temperamento ad pondus* aequae ac *justitiam* pronunciat, utrumque in rerum natura vere subsistere, & cum compositi corporis temperamentum ex insertis elementorum portionibus aestimare, nihil sit aliud, quam cognitionem, multis difficultatibus obstructam suscipere: Hinc discernendorum temperamentorum nullam aliam esse legem, nullos alios judices, quam sensus hominis, & inter illos praecipue tactum, quorum quippe beneficio notiones rerum animis imprimantur. Frustra autem sine dubio laborat in temperaturis singularum corporis humani partium tam externarum quam internarum internoscendis, quae quippe omnem suam temperaturam a sanguine tantum reliquisque humoribus per partes transeuntibus nanciscuntur. Agnoscit tamen lubens, multis ex causis temperamentum ingenitum commutari: Unde aetatis progressu cujusque temperamentum vertitur atque commutatur; Quam etiam ob causam antiqui ratione aetatis differentias in temperamentis agnoverunt. Illud vero miror, nullum temperamentum *biliosum*, nullum *sanguineum*, nullum *melancholicum* dici oportere, nimis acriter nostrum contendisse *Fernelium*. Neutra saltem rationum ab ipso allegatarum id sufficienter evincere videtur.

Interea pergit ad *Librum quartum*, in quo de spiritibus & calido innato agitur, quam doctrinam omnem ex veterum monumentis haustam esse, cuius facillimum est perspicere. Supponit autem hic calorem quendam eumque divinum non nobis tantum hominibus, sed & cunctis aliis viventibus inesse, cujus beneficio alimentum trahant, conficiant, eoque nutriantur ac sustententur, augeant, procreent animantes, praeterea sensu adficiantur & moveantur; Is vero calor cum sine vehiculo in omne corpus permeare & huc illucve momento diffundi non videatur: Hinc inducti fuere ad credendum veteres, calorem istum in corpore aliquo fluxo & profluente contineri. Atque ideo necesse fuit, calori isti materiam substernere tenuissimam, aëreo-aetheream, pernitate velocem, quae simul fovendo calori familiaris esset & amica, quam spiritus nomine, h. e. corporis aetherei, quod simul caloris facultatumque sedes & vinculum, primumque obeundae functionis instrumentum esset, insignire placuit. Ast cum spiritus iste, calore perfusus habere debeat, in quo consistat, quoque alatur ac sustineatur: Hinc adoptatur adhuc humor pingvis & oleo perquam similis, quem *humidum primigenium* adpellare placuit. Ex quibus omnibus, in summam redactis id tandem consequitur, *calidum innatum* nihil esse aliud, quam *humidum primigenium*, *infecto spiritu & calore* undique perfusum; Id nempe humidum, cui spiritus & calor ab ortu est inditus, in quo salvus viget & conservatur: Quibus proinde tribus inter sese mutuo junctis *calidum innatum* contineri, ex veterum mente hoc modo declaravit *Fernelius*. Denique cum admodum aequivo-cum sit vocabulum *naturae*: Hinc indolem ejus breviter sic exponit: Quod sit vis prima & causa per se, nostri opifex & conservatrix. Sermo autem est de *natura humana*, de qua proinde praedicat: Eam soli homini addictam, quem confirmavit, gubernare, quantum potest, longissime; Eam, ne frustra candidisse videatur, edito operi in omni
vita

vita infidere, id nunquam deserere, sed ejus gubernacula tractando, partes omnes in suum opus ducere & concitare, ita ut illa ipsa simul omnium functionum causa censi debeat.

§. LXXII.

Proximum nunc locum vindicat disquisitioni animae ejusdemque facultatum, quae quippe corpori organico vitam confert actionesque vitales inducit. Ast cum nihil sit taediosius, quam toties entia citra omnem necessitatem multiplicare: Hinc universam illam facultatum animae doctrinam, tanquam ex lacunis *Galenii* haustam, merito mittimus, paucis tantum hic praesupponentes, alibi vero plenius demonstraturi: Animam, eamque rationalem omnium oeconomiae humanae functionum & actuum, rationalium nempe, animalium atque vitalium fontem atque principium esse.

§. LXXIII.

Cum autem facultatibus tanta cognatione *functiones* cohaereant, ut aliarum ex aliis cognitio peti debeat: Hinc jam a facultatibus tanquam a causis conversione facta, articulatim *libro sexto* edisserere contendit, qua lege, quoque ordine usae suis illae spiritibus suisque particulis & temperamentis tanquam instrumentis functiones omnes suas compleant, ut simul inde partium omnium C. H. commoditas & usus in promptu sint & eluceant. Quemadmodum vero dicto *sexto libro* functiones omnes in homine jam genito omnibusque suis partibus absoluto scrutari & explicare conatus est: Ita *septimo* imprimis in eo, qui gignitur & in lucem profertur, omnem suam attentionem figit: Ubi quidem in singularum functionum explicacione quam plurima occurrunt, quae animadversione haud indigna forent, quae tamen omnia paginarum harum angustia non capit.

§. LXXIV.

Convertimus nos potius ad examen *pathologiae Fernelianae*, quae *septem* iterum *libris* comprehenditur. In primo genera-

generatim de morbis, eorum differentiis & causis differitur; In *secundo* de symptomatis & signis; In *tertio* de pulsibus & urinis; In *quarto* de febribus; In *quinto* de partium morbis & symptomatibus; In *sexto* de affectibus partium, quae sub diaphragmate sunt; Et in *septimo* seu *postremo* de externis corporis humani morbis agitur. De hisce vero omnibus, imprimis doctrina de febribus polliceri non veretur, quod non pauca legenti sint occursura, aut penitus à majoribus praetermissa, aut non satis explicata, aut ab illis interdum dissentanea, sed quae tamen ut ratione stabilita, ita & longo medendi usu comprobata sint. Atque ideo magna sui fiducia fretus subjicere non dubitat: Sic decere investigatorem veri, non solum quae legerit, sed & quae ipse secum meditando consideraverit & contemplatus fuerit usuque tenuerit, cognitione dignissima in communem usum proferre.

§. LXXV.

Sicuti autem tam *Physiologiae* quam *Pathologiae* septem cuilibet libros seorsim destinavit *Fernelius*: Ita totidem etiam *therapeuticae* universali seu medendi rationi sacros fecit. In *primo* fundamenti loco substernitur, medicinae leges legibus naturae debere esse consentaneas; Deinde de officio medici, remediorum inventionem, eorundem quantitate definienda, de tempore, quo adsumenda sint, nec non de forma & ratione praecepta generalia inculcantur. In *secundo* de evacuatione per venae-sectionem agitur, cujus tamen non solus *evacuatorius* sed & *revulsorius* ac *derivatorius* effectus solide, ringentibus licet plerisque Neotericorum, adstruitur, & singuli morbi, quibus vel praesentibus vel futuris vena secta succurrit, enumerantur, habito insuper prudenti selectu venarum secundarum, cum non sit indifferens, quamcunque venam quocumque in adfectu secare. Neque hic neglexit indicare, quid spontanea sanguinis eruptio in morbis conferat, quibusve signis morbi magnitudo & virium robur comprehendantur, pro quorum quippe indicatione mit-

tere vel non mittere sanguinem oporteat? Quomodo evacuationis quantitas ex morbi magnitudine & virium robore aestimanda fit? Quomodo praesentia aequae ac praeterita prudenter observanda, ut ex illis certior evacuandi quantitas judicetur? Quo morbi tempore sanguis sit mittendus? Qua ratione corpus ante venaessectionem debita & idonea ratione praeparandum? Quid ipso sectionis tempore faciendum? Ut à venaessectione aeger sit regendus? Quibus omnibus pauca adhuc de arteriotomia, de particulari sanguinis vacuatione, scarificatione, cucurbitulis &c. adjiciuntur.

§. LXXVI.

Libro tertio methodi medendi de purgandi ratione disputatur, quorsum non modo catharsis, emesis & clysterum in anum injectio pertinet, sed & ad evacuationes particulares per errhina, apophlegmatismos & bechica ista purgandi ratio restringitur. *Libro quarto* de summis medicamentorum generibus & facultatibus more *Galenicis* solemni differitur. *Quinto ac sexto* usitata tam internorum quam externorum medicamentorum materia fistitur: Et *septimo seu ultimo libro* remedia composita exhibentur, quorum ordine agitur primum de syrupis, electuariis & pilulis, deinde de antidotis tam solidis quam humidis, porro de trochiscis seu pastillis nec non de eclegmatis atque conditis &c. Ad externa vero medicamenta referuntur olea, unguenta & emplastra &c.

§. LXXVII.

An Johannis Heurnii, medicinae olim Professoris in *Academia Lugduno-Batava* & Principis *Auriaci* Archiatri *Institutiones medicae* hoc delicato seculo, quo novam vestem universa ars induit, multis placiturae sint, admodum dubito. Ipse *Heurnius* in epistola dedicatoria ad *Henricum Ranzovium*, ProRegem in Ducatibus *Slesvicensi*, *Holsatiae* atque *Dithmarsiae* sponte fatetur, theses esse ex suggestu Academico praecipitatas & à discipulis suis (quos inter *Petrum Pavium* laudat, qui

qui etiam postea in eadem Academia professioni publicae admotus est) ex dictantis ore exceptas & ipso tandem adnuente in publicum emissas esse. Cui accedit, quod nimis stricte *Aristotelis Galenique* placitis inhaereat, & hujus ultimi more multa de facultatibus aliisque talibus rebus frigide differat, quae hodie in auribus studiosorum non debent non molestum stridorem & in animo ipso fastidium parere.

§. LXXVIII.

Agit autem *libro primo*, postquam de medicinae natalibus, sectis, earumque placitis, nec non de artis definitione ac divisione paucula pro more *Institutionistarum* praelibaverat, de elementis, quo nomine intelligit minimam, i. e. simplicissimam partem ejus, cujus est elementum; Quam notitiam ei, qui medicinae operam navare cupit, adeo necessariam esse opinatur, ut quis neque bonam valetudinem tueri, neque causam morborum intelligere, neque signis quippiam deprehendere, neque morbum profligare possit, qui elementa corporis, quoque modo a pristino statu recedant, ignoraverit. Nobis vero secus videtur, qui hanc doctrinam de elementis ad Physicorum subsellia inferius remitemus, qua quippe medicus stricte sic dictus tota sua in functione carere sat commode potest.

§. LXXIX.

In *Libro secundo* discutitur doctrina de temperamentis, eorundemque differentiis, notis atque indiciis: Hinc ad partium principum, cerebri nempe, pulmonum, cordis, jecoris, ventriculi, genitalium totiusque habitus temperamenta eorundemque notas pergat, & quot modis, & ex quibus causis temperamentum ingenitum mutari possit ac soleat, circa finem hujus partis disquirat. Vereor autem, ne toto hoc laborioso scrutinio inanem ludat operam, cum primo statim hujus tractationis capite circa initium ex frigida illa & otiosa elementorum doctrina ipsam temperamenti indolem declarare cupiens, sese prodat, dum

temperamentum nihil aliud esse putat, quam sobolem quandam permistorum elementorum. Taceo, quod varia illa viscera atque partes, quarum temperamenta ordine describit, eorundem capacia non sint, sed ad longe alias causas referri mereantur.

§. LXXX.

Quae porro *libro tertio* de facultatibus earundemque functionibus, spiritibus & calido innato differuntur, *Galenicum* fermentum redolent & à recentioribus falsitatis jamdudum convicta sunt. *Libro quarto* disputatur de humoribus eorundemque numero, officina generationis ac potissimum de sanguine. Humores in genere describit esse substantias humidas, ex esculentorum & potulentorum mistione genitas, ut exhaustum in corpore resarciantur. Hos ad quaternarium reducit numerum, sanguinem nempe, pituitam, bilem & melancholiam, atque ab hepate ex chylo, vi ventriculi praeparato, gigni adseruit, sola tantum materiae & coctionis varietate distinctos. Advehi deinde chylum per venas meseraicas rubras ad hepar, ibidemque haematoseos vi, quae in hepate resideret, in sanguinem transformari. Sicuti autem post venas lacteas ab *Afello* detectas sua sponte corrui hic fieri modus: Ita hepate quoque jam dudum ultima cecinit *Bartholinus*. An vero sanguis crescat vel decrescat, an sit frigidus vel calidus, & quae sunt aliae ejus indolis otiosae, frigidae & ne casta quidem nuce dignae quaestiones, iis diutius non inhaerebimus.

§. LXXXI.

Libro quinto aeturus *Heurnius* noster de generatione hominis, nihil agit aliud, quam ut *Aristotelis*, *Hippocratis* & *Galenii* sententias variis modis inter sese mutuo committat & conciliare studeat, quae si hodie ab iis audiantur, qui *Hornium*, *Regnerum de Graeff*, *Swammerdamium* aliosque recentiores legerunt, justa eisdem indignatione merito adficiunt. Quod quaestiones hinc inde interspersas attinet, an

an scil. mulieres habeant sanguinem calidiorē prae viris, cur viri non sint menstruales, an muliebritas sit in mensibus &c. illas tanquam futes & inutiles merito mittimus. Atque haec omnia, quae hucusque recensuimus, ad partem medicinae *physiologicam* spectare videntur.

§. LXXXII.

Nunc vero *parte secunda*, & *libro quidem sexto* ad *Pathologiam* sese convertit *Heurnius*, acturus de iis, quae sanitatem evertant, id quod faciunt omnes affectus praeter naturam seu morbi. Per morbum autem intelligit constitutionem praeter naturam corporis viventis, laedentem primo & per se actionem. Deinde profequitur varias morborum differentias, quae vel à partibus nostri corporis ducuntur, uti sunt morbi intemperiei, organicarum partium, conformationis &c. vel ab adjunctis qualitatibus, vel à tempore &c. *Libro septimo* inquiritur in causas morborum, quarum pleraeque ita comparatae sunt, ut rarissime morbos excitandi energia polleant, aut si quadam ad morbos gignendum potestate valeant, merito miraculosum videri debet, quod nihilominus homines tam raro aegrotent. *Libro octavo* symptomatum historia sistitur, prout vel animalem vel vitalem actionem laedunt & adficiunt, quibus *ultimo* adnectuntur symptomata excrementorum, quaeque in qualitate mutata consistunt.

§. LXXXIII.

Libro nono exorditur *Semeioticam*, quam tractationem urinarum inspectione ideo auspiciatur & fusius deinde profequitur, quia inter excrementa nullum certius morbos indicare ac de iisdem fidem facere existimat. Agit tamen etiam de pulsibus, huiusque scientiae utilitate aliisque fontibus *doctrinae diagnosticae*. In *prognosi* vero ordine tractat de signis coctionis atque cruditatis, salutis & mortis, quae vel ad melius vel ad deterius inclinant, quaeque & tempus & modum criseos patefaciunt, & quae sunt alia

hisce adfinia, quae legisse non poenitebit eum, qui iudicium subactum, maturum & variis casibus pratico-clinici jam illustratum possidet.

§. LXXXIV.

Ultimo ac decimo Institutionum Heurnianarum libro therapeutica generalis seu methodus medendi sistitur, ubi in genere rursus fatendum nobis est, quod, quae de primarum ac secundarum facultatum vi, deque gradibus qualitatum in medicamentis simplicibus, & quo demum artificio haec omnia dignoscenda sint, differuntur, ingenio seculi moderni parum adcommodata esse videantur, quae proinde sine piaculo hic sicco pede praetermittere nobis licebit. Neque enim hodie studiosis nostris aures pruriunt, multo minus saliva movetur, si de facultatibus primis & secundis plantarum earumq; gradibus disputantes vel potius ineptientes in cathedra audirent docentes. Si amplius tertiarum atque quartarum facultatum vires alta voce e-buccinatas perciperent, metus foret, ne in cachinnos erumperent. Tam exquisitus hodie est philiatorum nostrorum gustus! Melius Auctor noster instruit seriem indicationum, quos desumere docet vel à morbo ipso, causa morbifica & symptomate, vel à temperie totius corporis aegri, vel à parte morbo obsessa, vel ex viribus aegrotantis, vel ab aëre ambiente, vel ab aetate, vel à consuetudine, vel à peculiari cujusvis natura, vel à sexu, vel ab exercitio vitaeque instituto, vel à morbi longitudine ejusque brevitate, vel à quatuor anni temporibus, vel à paroxysmis morborum, vel à solemnibus naturae functionibus vel ex remediorum viribus, vel, quod tamen dubiis suis haud caret, à fideribus. Neque omnino contemnenda sunt, quae capite *Institutionum* suarum ultimo de modo consilia medica ineundi *Heurnius* noster disputat.

§. LXXXV.

Prius vero, quam eundem mittamus, illud adhuc, tanquam ab hoc loco minime alienum monere consultum duxi,

dux, quod appendicis loco *Institutionibus* suis junxerit consilium, modum & rationem studendi, eorum usui inservituram, qui medicinae operam suam dicarunt. Estque hoc scriptum non lectu modo jucundum, sed & philiatris apprime utile & necessarium, quanquam, quod pariter diffitendum non est, temporibus, quibus vivebat, congruum. Hodie enim ad *Avicennam*, *Mesuen*, *Serapionem* aliosque *Arabes*, vel *Graecos*, *Aretaeum*, *Paulum*, *Aëtium*, *Trallianum*, *Oribasium* aliosque ablegare velle philiatros, vereor, ne irritum, sterile atque supervacaneum institutum sit futurum.

§. LXXXVI.

Ita ergo si cum *Heurnio* nostro comparatum sit, metuo, ne paria cum ipso fata habeat *Balthasar Schultzius*, quem *Lindenius Wratislaviensem*, ipsemet vero medicum *Colbergensem* sese vocat. Ingenuè is confitetur, synopsis universae medicinae, quam edidit, cum ex multis medicorum libris, tum praecipue ex *Iobannis Heurnii Institutionibus* conformatam & XII. Disputationibus exhibitam, inque *Academia Wittebergenfi* exercitio privato eventilatam esse. Qualis autem est fons, tales etiam plerumque solent esse rivuli.

§. LXXXVII.

Vix praeterea melioris notae est ejusdem *Schultzii* historia de homine microcosmo, in qua cum admirandam corporis humani fabricam tum divinam animae humanae essentiam *dialogus* contemplandam exhibere conatus est, instituta adhuc in fine brevissima utriusque mundi, magnaeque ac parvi comparatione. Id tamen tantopere *Nostris* vitio vertendum non est, qui in gratiam pueri nobilis, *Otonis Flemingii* libellum conscripserat eidemque dedicaverat.

§. LXXXVIII.

Dispersitur interim duas in partes, quarum prior de mirabili machina humani corporis, posterior vero de anima agit. Quoad priorem, praeter divisionem partium, *Hippocrati*

pocrati usitatam in *ιχοντα, ιχομενα & ορμυντα*, in similes ac dissimiles, earundemque brevem historiam, quaeque illarum chylosi, haematosi, respirationi, procreationi &c. subserviunt, sistit quoque humorum variorum succinctam enarrationem, quorsum praeter chylum, qui quasi reliquorum humorum omnium rudimentum est, pertinet sanguis, pituita, bilis & succus melancholicus, qui secundae coctionis humores sunt, sicut ad tertiae coctionis humores, anonymus, ros, cambium & gluten ab Auctore referuntur: A quibus tamen omnibus humidum radicale, quod primogenea haereditate solidis membris insidere fabulantur, distinctum esse arguit. De spiritibus vulgaria medicorum commenta repetit, &, ne physica ista speculatio pathologico usu destituta esse videatur: Hinc ab impedito spiritu naturali atrophiae, à vitali syncopes, & ab animali apoplexiae originem derivat. Quoad *posterio*rem vero, animam rationalem à DEO homini primitus inspiratam, postea mirabili propagationis serie continuari credidit, cujus proinde virtus etsi in toto corpore tota sit, sicut & in omnibus partibus tota est: In organicis tamen membris, maxime in corde potenter residere putavit, unde virtutem suam per organa debite conformata universo corpori communicet: Quae omnia, uti & vulgarem animae divisionem in *vegetantem, sensitivam & rationalem* non aliunde, quam ex *Aristotelis & Peripateticorum* fontibus hausisse videtur.

§. LXXXIX.

Ex *Italis* hoc circiter aevo *Institutiones medicinae* nobis reliquit *Vidus Vidius*, senior, philosophus ac medicus *Florentinus*, suo tempore longe excellentissimus, qui tum *Lu-
tetiae* tum *Pisis* magno cum adplausu artem medicam docuit, & gravissimo Archiatri munere apud Franciscum I. Regem Galliarum magna cum laude perfunctus est. Absolvuntur autem *Vidii* nostri *Institutiones* tribus libris, in quorum *primo* de origine & auctoribus medicinae agitur, subjuncta causa, cur post eos de medicina scripserit? In *altero*
libro

libro tractatur de communibus medicinae, qualia sunt ejusdem definitio, divisio atque subjectum cum resolutione quarundam generalium quaestiuncularum, quibus multi alii praeter Vidium tempus inutiliter terere consueverunt, uti sunt: An medicina sit ars, an scientia? Quae ad perficiendum medici officium requirantur? Qualem oporteat esse medicum? Qualem praestare sese debeat aegrotans? Et quae sunt ejus farinae plura, ex quibus, quantum conatus tyronum artis juvari ac promoveri possint, facile cuilibet licet perspicere. In tertio interim Institutionum libro agitur de partibus medicinae, deque ratione, qua inveniantur atque in ordinem disponantur: Quae omnia nimis sunt generalia, quam ut multa praeclara commoda lecturis polliceri inde queamus.

§. XC.

Hujus quoque loci est *Ludovicus Mercatus*, Hispanus, qui non modo in *Academia Vallejoletana* Professioni medicae praefuit, sed & splendido Archiatri Regii munere apud Philippum II. Hispaniarum Regem perfunctus est. Seorsim primum *Institutiones medicas* edidit, quae deinde simul cum reliquis ejus operibus prodire, in quorum proinde *tomo primo* exhibetur primum pro more *physiologia*, quae de constitutione corporis secundum naturam agit; Quam deinde excipit *hygieine*, in qua de sanitatis conservatione & praecautione disseritur; Tandemque adnectitur *pathologia* cum *semeiotica* atque *therapeutica*, quibus in partibus ordine enarrantur morbi cum eorundem signis, causis, symptomatis, differentiis eorundemq; curatione.

§. XCI.

Hisce etiam adnumeratur *Georgius Scharpius*, Scotus, cujus *Institutiones medicas* *Claudius Scharpius*, filius in lucem dedit, à quarum tamen lectione tanto alieniores credo tyrones artis, quo minus moribus nostri seculi sunt ad commodatae.

§. XCII.

Ipsius conterraneus, *Gilbertus Jacchaeus*, natus *Aberdoniae*, septentrionalis *Scotiae* oppido, episcopatu & Academia celebri, in qua etiam Professione publica perfunctus est, similiter *Institutiones medicas* scripsit, vix tamen etiam ad delicatum moderni seculi gustum attemperatas.

§. XCIII.

Duncanus Liddelius, pariter Scotus, seorsim quidem exhibuit universum artis medicae compendium, disputationibus aliquot in *Academia Julia* quondam habitis inclusum; Postea vero cum aliquot aliis ejus scriptis studio *Ludovici Serrani*, Neomagensis, sub titulo operum Jatro-Galenicorum Lugduni junctim prodire, & septem libris comprehenduntur, quorum *primus* Physiologiam, *secundus* Pathologiam, *tertius* semeioticam, *quartus* therapeutice una cum victus ratione tam in sanis quam in aegrotantibus exhibet; Reliqui vero tres tractatus de febribus earundemque symptomatibus, de peste, de variolis atque morbillis agunt: Quae tamen omnia *Galenii* principia redolent.

§. XCIV.

Similiter *Petrus Laurembergius*, Rostochiensis, edidit porticum Aesculapii seu generalem artis medicae constitutionem, in qua de medicinae genere, subjecto, fine, definitione, divisione pleraeque controversiae examinantur, errores multi à multis hucusque custoditi ostenduntur, & verae de singulis sententiae feruntur ac demonstrantur. Ponamus autem, acu hic rem tetigisse *Laurembergium*, in plerisque, quas pertractavit, controversiis: Inanem tamen operam lusisse eundem, nemo diffitebitur, qui rite intellexerit, ἀλλωτρία talia à medicinae ambitu quovis modo arcenda, eandem potius confundere quam juvare, sicuti inferius suo loco animadvertemus.

§. XCV.

§. XCV.

Ludovicus Gardinius in publicum produxit *Hortensii* manu-
ductionem per omnes medicinae partes. Cui successit
ejusdem *Hortensii* manu ductio ad Pathologiam, quae est
Institutionum medicarum pars secunda, & secutus tandem
est earundem liber tertius, sive medicina subsidiaria, opus
posthumum de rebus non naturalibus, quod studio & o-
pera *Jacobi Briffaut*, medici *Duacensis*, prodiit.

§. XCVI.

Et cum *Leonardus Franciscus Dinghemius* fundamenta me-
dico-physica ad Scholarum ἀκριβολογίαν studiose aptata
esse ipsemet profiteatur: Hinc & illa artis nostrae sectato-
ribus parum profutura, haud vane conjicimus.

§. XCVII.

Quanquam etiam *Lazari Meissonnerii*, *Matisconensis*,
idea medicinae, verae fidei cum sensibus per rationem re-
stitutae cum philosophiae naturalis & medicinae secretiori
institutionibus, multa speciose polliceatur, nempe artifi-
um novum ad docendam, discendam & feliciter faciendam
medicinam omnino necessarium, nec non philosophiae
studiosis & quibuslibet aliis, vitam longam sanamq; fiti-
entibus utilissimum: Eventus tamen satis comprobavit,
non respondisse eum promissis.

§. XCVIII.

Johannem vero *Walaeum*, inter Scriptores *Institutionum*
ideo referre nonnulli recusant, quod ipso vivo, sub hac
saltem forma nullum scriptorum ejus lucem adspexerit pu-
blicam. Omnia quidem, quae inveniri potuerunt, scripta
Walaeci in unum congescit *Christophorus Jervinus*, vel *Jrvinus*
philosophices & chirurgices Magister *Edimburgensis*, in quibus
multa nova, plurima renovata, verbo, quicquid vel in In-
stitutione nervosum vel in praxi salubre desiderari potest,
reperiri censet: Sed quis fidem nobis faciet, omnia, quae

à Jervino compilata sunt, *Wallaei* genuina esse? De quo quidem non abs re permulti dubitant.

§. XCIX.

Interea in formam *institutionum* theorica *Wallaei* sic digressit *Jervinus*, vel, ut alii scribere malunt, *Irvinus*, ut tribus partibus, *physiologia* scilicet, *pathologia* ac methodo medendi comprehensa adpareat. In *prima* illarum agitur de partibus H. C. de calido innato, de humoribus, chylo potissimum ac sanguine, de temperamentis, de facultatibus animae, tandemque de functionibus, vitalibus, naturalibus & animalibus. In *altera*, cui tamen etiam doctrinam signorum jungit, de morbis eorumque causis & effectis tractat: Et *tertiam* denique tribus capitibus comprehendit, in quorum *primo* de causis sanitatem conservantibus, in *altero* de curatione morborum & in postremo de magnitudine symptomatum differitur.

§. C.

Majori quidem jure *Institutionum* scriptoribus adnumeratur *Vopiscus Fortunatus Plempius*, Amstelodamensis, qui libros VI. fundamentorum medicinae, acribologia Scholastica sic satis quidem accuratos, edidit, in quibus tamen non pauca continentur aliena, ab institutionibus merito removenda; Hanc ob causam non modo *Auctor* ipsemet fundamenta sua hinc inde interpolare, sed & apologema pro eodem *Daniel Vermoscius* adversus dictoria & ineptias cujusdam *κηπερος* scribere coactus fuit. Sicuti acre & virulentum est scriptum, quo *Plempium κηπερος* iste, sub hac ejus inscriptione: *Methodus medicinam rite discendi & exercendi*; est insectatus: Ita *Vermoscius*, defensor *Plempii* tanto minus pepercit *adgressori*, quo certius is ea aetate, qua *Plempii* institutiones perstrinxit, juveniles annos nuper demum ingressus, & vix à triennio cis citra doctorum ordini adscriptus, atque adeo fermento ambitionis totus turgidus, pulvis Aesculapii, vixdum è Scholae testa caput exerens, eo polluerit iudicio, ut medicinam non solum rite discendi
& ex-

& exercendi methodum tradere, sed & *Plempii*, viri Professorii, qui in *Academia Lovaniensi* medicam artem multos annos non sine fama & adplausu docuerat, scriptum tamen ejus acri & censorio stylo laceffere ausus fuerit. Sed quid mirum? Quid non audet temeraria Juventus? Interim *κν-π&pos* iste multos hodieque sibi similes habet, adolescentulos arrogantes, aliorum famae infidias struentes, imo quosvis obvios Scyllaei canis instar adlatrantes. Uti vero *Plempius* optime, sic in suo apologemate sentiente *Vermoscio*, à dignitate sua alienum existimavit, cum talibus putidis cavillatoribus manum stylumque conferere: Ita hos Viri prudentis mores imitari decet eos, qui paria cum ipso fata experiuntur. Non sunt digni tales cavillatores, quibus vel verbulum respondeatur, nisi circumstantiae cum tempore demum sese manifestantes aliud quid suadeant. Neque publicum suum dissensum dissimulare potuit *Jacobus Primerosius*, qui destructionem fundamentorum medicinae *Plempianorum* evulgavit, in qua minimum quater centum *Plempii* errores demonstrare conatus est; Cujus tamen defensionem iterum in sese suscepit *Gerhardus Blasius*, filius *Leonardi*, Amstelredamensis, qui, ut ipse loquitur, impetum *Jacobi Primerosii* in *Vopiscum Fortunatum Plempium* retudit. Cui vero tandem victoriae gloria sit adjudicanda, adhuc sub judice lis est, quam nos ut hac vice dirimamus, nimis à scopo nostro alienum esse judicamus. Caeterum idem *Gerhardus Blasius* compendium *Institutionum medicarum* XII. disputationibus in Illustri Athenaeo Amstelredamensi publice ventilatis comprehensum evulgavit.

§. CI.

Eundem laborem adgressus est *Albertus Kyperus*, Philosophiae ac medicinae Doctor, hujusque in *Academia Lugduno-Batava* Professor Ordinarius. Promittit quidem titulus *Institutiones medicas*, ad hypothesin motus sanguinis circularis compositas, quibus subjiciuntur ejudem transumpta medica, quibus fundamenta artis continentur. In praefatione autem ad Lectorem fatetur, se *Aristotelis*, qui quippe ab *Hip-*

poetate non multum recedat, ut & *Galen*i hypothesibus inhaesisse, ac tyronibus hoc medicinae compendium destinasse, ut ideam artis generalem parvo tempore comprehendere mente possent, sicque ad legendum Auctores fierent aptiores, imo ad ipsam quoque praxin manu ducerentur.

§. CII.

Totum opus sic satis prolixum quatuor comprehenditur libris, in quorum primo sistitur medicinae *subjectum*, nempe homo, in secundo *finis*, sanitas scilicet & morbus, sicuti in tertio *signa*, & in quarto *media* & sanitatem conservandi & amissam restituendi exhibentur.

§. CIII.

Quod *primam partem* specialius attinet, ea, si fatendum, quod res est, nihil aliud exhibet, quam anthropologiam seu discursum physico-anatomicum de natura hominis, qui finem artis aequè parum directe respicit ac Astronomia vel quaecunque alia scientia. Quanquam enim nunquam in animum induxerimus negare, medico historiam illarum partium perspectam esse debere: Veram tamen theoriam medicam, futuris usibus practico-clinice eminenter utilem tam parum illustrat, ac ars pictoria: Unde jam alibi monitum est, anthropologicam hanc hominis tractationem, tanquam jam aliunde notam, esse praesupponendam. Caeterum monstra illa traditionum antiquarum de calido innato, de spiritibus insitis & influentibus, vitalibus, animalibus ac genitalibus, de anima vegetativa, sensitiva & rationali &c. in omnibus tantum non paginis adhuc reperiuntur. Taceo *facultates Galenic*as in explicandis functionibus viscerum atque partium utramque absolvere paginam. Ut proinde necessarium duxerim, tyrones monere, ne specioso titulo fascinari sese patiantur, qui *institutiones medicinae* ad hypothesin quidem de motu sanguinis circulari compositas pollicetur, ubi tamen re ipsa nihil praestatur aliud, quam quod antiqua opinio-

num

num *Galenicarum* crambe recoquatur, atque ingenti taedio lectori denuo adponatur.

§. CIV.

Quae cum ita sese habeant, omnino supervacaneum esse judicamus, reliquas harum *Institutionum* partes percurrere, cum, semeioticis exceptis, plane ejusdem sint indolis. Convertamus nos potius ad *Transumpta* medica, quae ex *Physicis* ea repetunt, in quibus fundamenta medicinae continentur. Liceat autem, *Auctoris* pace, libere adserere, quod in eo tanto minus ejusdem institutum adprobare queamus, quia animus discantis alienis talibus, *physicis* vel *metaphysicis* speculationibus praeoccupatus, plane ineptus redditur, ad comprehendendum ea, quae proprie atq; directe ad artem medicam, quae factiva est & practica, pertinent. Vehementer namque hucusque displicuit, quod tantam *Physices* in medicina necessitatem esse, hucusque crediderint, ut nonnulli illorum adserere non dubitaverint, hanc in solidum *physicis* dogmatibus ita inniti, ut ex his multa repetere & dehinc ex scientiae theorematis deducere cogatur recte medendi praecepta. Finge, in *physicis* dissentire medentes, an quaeso possibile erit, ut in medicis praeceptis convenire queant? Istud enim omnī intuitu paradoxon videtur, quod medendi praecepta eadem manere possint, etiamsi circa scientiae theoremata sit dissensus? Quia aut talem oportet esse praxin, qualis est theoria, aut ista saltem theoria praxi omnino erit inutilis; Id quod innumeris instantiis comprobari facile posset, si id operae valeret pretium. Quod ipsum tanto magis dilucescet, si expendatur, studiosos medicinae ad *Hippocratis* & *Galenī* principia à *Nostro* ablegari, ad quae quippe tanquam ad ὄπο θεοῦ reliqua revocari queant, quanquam ipsemet negare non audeat, multa in iis dubia, nec forte pauca etiam falsa contineri. Hoc saltem quam verissimum esse saepe saepius experti fuimus, quod Juvenes
nimis

nimis follicite το διότι inquirentes, haud infrequenter una cum illo το ὅτι amittant. Neque enim subtilis de principiis disputatio, sed felix morborum depulsio medicum efficit, ut recte caeteroquin noster quoque observavit; Adeo ut in proverbium plane abierit: *Doctum theoreticum esse infelicem Practicum*: Quia, dum subtiles tales doctores in elementis tantum morantur: Seipfos ad praxin exercendam inidoneos reddunt.

§. CV.

Haec vero omnia ne frustra adseruisse videamur, animum tantum advertere jubemus ad ea, quae libro primo *Transumptorum* disputantur de elementis eorumque nomine respectu homonymiae, etymologiae & synonymiae, de eorundem existentia, essentia, causis tam internis quam externis, origine, consequentibus, adjunctis & effectis una cum divisione &c. Coecus enim sit oportet, qui non advertat, spinosas tales elementorum disquisitiones ad finem artis, qui est curatio & liberatio a morbis, ne minus quidem respicere. Quo sensu ipsemet *Galenus* Libr. I. *Prorrhetic.* S. I. comm. 17. recte adseruit: *Quicquid non docet melius curare, sophisticum est & ab arte alienum.* Quae deinde libro II. de mixtis docentur, utilia quidem sunt, majori tamen utilitate sese commendarent, si mixtionis natura non absolute & in se, sed in oppositione ad statum vitalitatis considerata fuisset, ut exinde demum distincte intelligi posset, cur mixtio animalis, suo in genere ad corruptionem putredinosam valde proclivis, rarissime tamen ad actualem corruptionem perveniat? Reliqua prolixius prosequi non est necesse. Optaremus saltem, *Kyperum* nostrum vim *Logices*, in qua eximie plane excelluisse videtur, in alia quacunque disciplina adhibuisse, modo medicinae pepercisset. Quis enim Juvenum, medicinae studiosorum hodie reperitur, qui haec talia dialectica sine tacita indignatione audire cupiat?

§. CVI.

§. CVI.

Contra nimia prolixitate plerisque peccare videbuntur *Institutiones Danielis Sennerti*, Professoris medicinae in *Academia Wittebergensi* & medici cubicularii *Iohannis Georgii I. Electoris Saxonici*. Edidit quidem primum, uti ipsemet in Praefatione testatur, in gratiam studiosorum medicinae epitomen quandam & quasi lineamenta artis, quam in dicta *Alma Wittebergensi* docebat; Quia non ignorabat vir prudens, multum discipulis prodesse, si ejus, cui se adplicuere, disciplinae ideam quandam animo conciperent. Quum vero deinde epitomen istam in manus resumeret, illamque concisa nimis brevitate laborare animadverteret: Hinc factum est, ut meliora interim edoctus, quaedam mutaret, quaedam vero adderet, indeque majoris molis *Institutiones* enascerentur, quarum insuper amplitudinem miris modis augebant numerosae, quas ubique intersperfit, quaeestiones controversae, quod tamen institutum suum inde excusat, quod alias discipulorum animi variis tricis involverentur, ex quibus tamen extricandi potius quam implicandi essent. Addit, perinde fore intuitu philiatorum, siue *Institutiones* paulo prolixiores siue eadem commentario illustratas legerent.

§. CVII.

Quanquam autem negari neque possit neque debeat, sine detrimento Reipublicae medicae in multis breviorum esse potuisse *Sennertum*: Fatendum tamen simul est, multa egregia, *Semeioticam* praecipue atque *diaeticam* concernentia in hisce *Institutionibus* contineri. Et, si iudicio *Petri Laurembergii* in *Lauri Delphici* standum, principem inter *Institutionum* scriptores locum tuetur *Sennertus* noster; Ita enim ille commendat eundem: *Pervolve, & nocturna diurnaue versato manu Institutiones Danielis Sennerti, in quibus prolixiori orationis serie fundamenta artis plenissime enarrantur, & longe forte solidius quam factitatum à Fuchio, Valleriolo, Riolano, Heurnio,*

nio, Duncano Liddelio caeterisque de genere hoc. Unus iste tibi
erit instar omnium; Quem si noris, omnes noris.

§. CVIII.

At vero quid veri vel falsi huic iudicio subfit, rectius non intelligemus, quam si singulas *Institutionum Sennertianarum* partes breviter percurramus, quidve in illis laude vel vituperio dignum sit, sincere quidem, attamen modeste indicemus. Praemissis itaque paucis, ut vulgo moris est, de natura ac divisione medicinae, in parte *Physiologica* agere incipit de sanitate & temperamentis. Sanitatis formalem rationem constituit *in potentia*, corporis actiones exercendi, à naturali omnium partium constitutione proveniente; *In potentia*, inquam, non actuali exercitio; Cum non is solum sanus dicendus sit, qui actiones debitas actu obit, sed etiam, qui eas actu non obit, dummodo, si velit, obire possit. Ad hanc sanitatis rationem in tanto clariori luce collocandam, inde quoque ipsam temperamentorum indolem deducit, describendo temperamentum in genere, quod sit qualitas ex mixtione elementorum & quatuor primarum qualitatuum mutua actione & passione exorta. Varias deinde horum temperamentorum differentias profequitur, quarum tamen primariae huc redeunt, ut aliud sit temperamentum *ad pondus*, aliud *ad justitiam*, aliud *simplex*, aliud *compositum*, aliud *calidum*, *frigidum*, *humidum* & *siccum*, vel *sanguineum*, *biliosum*, *phlegmaticum* & *melancholicum*, quorum tamen omnium nullum homini ad commodatius sit, nullum convenientius, quam calidum & humidum, quod alias sanguineum vocatur. Quae praeterea de differentiis corporum secundum Astrologos nec non de temperamento totius, quod à partium principum, cordis, epatis, cerebri, ventriculi &c. temperie dependere existimat, *Auctor* noster adfert, ea tanquam res nullius momenti lubens praetereo.

§. CIX.

Omnes vero hanc doctrinam de temperamentis ut clarius illustret, proxime subjungit discussionem *calidi innati, humidum radicale & spirituum* vulgo sic dictorum. Quid autem sit calidum innatum, inventu difficile & obscurum esse fatetur, cum, quo quis in investiganda *calidi innati* natura plures in consilium adhibeat Auctores, eo fere reddatur incertior. *Noster* vero, ut tantam, scilicet, difficultatem & nodum quasi gordium solvat, per *calidum innatum* idem, quod alii per *spiritum innatum*, intelligit, ita tamen, ut *insitus* ille, cujus originem à femine derivat, & in corde potissimum hospitium suum habere ipsiusque animae praecipuum organon esse docet, à naturali caute distingvi mereatur. An autem *humidum primigenium* ad *calidi innati* essentiam pertineat, dubitare videtur; Atque adeo *spiritus* potius *insiti* seu *calidi innati* pabulum seu domicilium esse credit: Non tamen facile haec tria, *calorem, spiritum & humidum radicale* separari, sed ut balsamum naturale arctissimo nexu conjungi. Cum vero calidum istud innatum ad omnes actiones perficiendas non sufficiat, sed calido aliunde influente, à quo & foveatur & excitetur, indigeat: Hinc spiritibus id officii demandare non dubitat, quod, cum ex tenuissima & maxime sincera sanguinis parte generati sint, animae quasi cum corpore uniendae vinculum actionumq; edendarum maxime necessarium instrumentum constituent. Hos trifariam distingvit, ita quidem, ut spiritus naturales differant a vitalibus, hi ab animalibus, & omnes ratione officiorum, quibus destinati sunt. Quibus ita expeditis, agit de naturali partium organicarum constitutione, & tam similaribus quam dissimilaribus communi unitate, de animae facultatibus & actionibus, nutritione & augmentatione, de generatione & partu, quibus omnibus physica explicatio de sensibus tam externis quam internis subjungitur. Atque hoc omne est, quod *Physiologiam* secundum *Sennerti* nostri mentem exhaurit.

§. CX.

Nisi igitur felicius fuerit in parte, quam nunc adgre-
dimur, *Pathologica*, vereor, ne praecipitatum nimis a ple-
risque censeatur *Laurembergii* iudicium. Prolixitate inte-
rim multum superat praecedentem; Tribus enim distin-
ctis comprehenditur partibus, quarum *prima* de morbi na-
tura & differentiis, de morbis intemperiei & totius substan-
tiae seu occultarum qualitatum, de morbis compositionis,
conformationis & solutae unitatis, nec non de eorundem
temporibus tractat. *Alter* agit de morborum causis, quam
doctrinam ideo summe necessariam medico esse existimat,
cum morbi neque vitari neque tolli possint, nisi causae ca-
veantur; Et dividit easdem in proximam, remotam &
procatarcticam, in causam per se & per accidens, in positi-
vam & privativam, communem & propriam &c. Porro
inter causas morborum refert res non naturales, pletho-
ram atque cacochymiam, cujus ultimae occasione seorsim
de pituita, bile, succo melancholico, seroso humore & fla-
tibus agit, addendo tamen, humores non primis tantum
qualitatibus corpora nostra adficere, sed praeter calidum,
frigidum, humidum & siccum, amarum quoque & salsum
& dulce & acidum & insipidum & acerbum & sexcenta
alia, secundum *Hippocratis* effatum, homini molestiam
creare. Hisce omnibus subjungit generationem cal-
culorum ac vermium, inque causarum morbificarum
censum refert. Neque, ut tritam a vulgo viam ubique
calcasse videatur, causas morborum intemperiei cum &
sine materia, totius substantiae, morborum organicorum
& solutae unitatis prorsus negligit.

§. CXI.

Parte *tertia* sectione prima loquitur de symptomati-
bus eorundemque differentiis. Et cum ipsas quoque fa-
cultates varia ratione distinxerit: Hinc agit primum de
symptomatibus facultatis naturalis, quorsum atrophia, a-
norexia, dysorexia, bulimia, malacia, aepesia, nausea, vo-
mitus,

mitus, singultus &c. referuntur. Ad symptomata facultatis vitalis reducit lipothymiam, syncopen, palpitationem cordis &c. tandemque, interjectis nonnullis de symptomatibus sensuum tam externorum quam internorum, nec non motricis facultatis, agit de symptomatibus, in quibus vel omnes vel pleraeque actiones animales laeduntur, uti sunt lethargus, carus, catalepsis, apoplexia, epilepsia, vertigo &c. paucis adhuc de symptomatibus, quae in qualitatibus corporis mutatis consistunt, differitur. Alteram vero partis tertiae sectionem sibi vindicant disquisitiones aetiologicae circa causas diversorum horum symptomatum institutae, ubi eodem iterum ordine causis symptomatum facultatis naturalis, vitalis, animalis sensuumque tam externorum quam internorum facultatisque motricis recensitis, universa tractatio enarratione causarum, quae symptomata qualitatuum corporis mutatarum concernunt, obfignantur. Et fatemur quidem libere, singulas hasce partes singularem mereri animadversionem; Verum cum prolixioribus nobis esse non liceat, id tantum brevissimis repetimus, pleraque, quae circa causales deductiones adferuntur, principiis physiologicis *Auctoris* conformia ac proinde levioris momenti esse.

§. CXII.

In libro *tertio*, qui de signis agit, parte prima sectione prima eruuntur praecipuae signorum differentiae eorundemque fontes, & ante omnia inquiritur in methodi semeioticae necessitatem & utilitatem. Ita enim omnino res habere sese videtur, sicuti *Sennertus* noster observavit: Aegros nempe, videntes ea, quae sibi eveniunt, jam antea medico cognita fuisse, non solum medicinam extollere, sed & medico magis obedire magisque fidere; Atque ita *methodum semeioticam* non solum ad curationem necessariam esse, sed & auctoritatem artis non parum promovere concludit. Adde, medicum ea praevidentem, quae aegris obventura sunt, tempestive iis occurrere posse. Hac proinde scientia in-

fructus artifex vulgi calumnias longe facilius evitare potest, dum, quae futura sunt, praedicat, nec optima medicamenta, quae pluribus profuerunt, infamat, ea illis exhibendo, in quibus nulla salutis spes superest. Hinc igitur sectione secunda pergit ad signa, quibus tam universi corporis humani, quam praecipuarum ejus partium temperies cognoscitur. Qua in re frustra omnino fuisse *Sennertum*, extra dubium est, quia nulla pars prae altera calidior est vel frigidior, humidior vel siccior, quam pro ut vel plus vel minus sanguinis vel feri intra sese recipit.

§. CXIII.

Interim sectione tertia sese confert *Auctor* ad declaranda signa, quae ex urina peti possunt; Ubi exposito vulgari inspectionis urinarum abusu, primum de earundem differentiis, substantia & affectionibus, deinde de earundem contentis & causis urinarum tenuium, mediocrium & crassarum, clararum item atque turbidarum colorumque, odoris, quantitatis similiumque accidentium rationibus differit, simulque regulas praescribit, secundum quas ei procedendum sit, qui urinas rite & cum fructu inspicere cupit, cum universa reliqua operosa urinarum pertractatio & in morbis cognoscendis & eorundem causis indagandis & eventu eorundem praedicendo tantum versetur. Et cum nonnulli spurii artis filii quidvis ex quavis urina polliceri ac temere praesagire audeant: Non sane inutilem suscipit laborem *Noster*, qui experientiae ductum secutus philiatri demonstraverit, quid potissimum ex urinis perspicere ac praedici queat? Digressionem hinc ad doctrinam de pulsibus facta, exponit simplices primum, deinde vero compositas pulsuum rationes atque differentias; Posthaec vero declarat necessaria quaedam requisita, quibus instructum esse oporteat eum, qui pulsus eorundemque causas atque differentias tam simplices quam compositas cognoscere, quidve illarum quaelibet significet atque praesagiat, perite exponere cupit? Non neglecta tamen

tamen etiam solerti penſitatione pulſuum, qui vel ſalutem vel mortem vel futuram criſin praenunciant. Et ſicuti pars ſecunda libri tertii *diagnofica*: Ita tertia ejusdem libri *prognoſtica* proſequitur, eodem propemodum modo ac ferie, ſicuti alii *Inſtitutionum* ſcriptores ſignorum doctrinam pertractare conſueverunt.

§. CXIV.

Libro *Inſtitutionum* quarto occupatus eſt in explicandis rebus, quae ad ſanitatē tuendam neceſſariae ſunt. Prius vero, quam ad ſpecialia accedat, conſultum eſſe duxit, generalia quaedam axiomata, tam in modo tuendae ſanitatis quam in methodo medendi obſervanda praemittere, qualia ſunt: Naturam nihil temere agere; Omne nimium naturae eſſe inimicum; Eam non facere ſubitas mutationes, & ſi faciat, eſſe periculoſas; Semel multum & repente vel evacuare, vel refrigerare, aut alio quovis modo corpus movere, periculoſum eſſe; Quae longo tempore extenuata ſunt corpora, ſenſim reſcienda eſſe; Quae vero brevi, repente; Naturam eſſe morborum medicatricem; medicum vero ejusdem miniſtrum; Conſuetudinem eſſe alteram naturam; Et conſueta longo tempore, etiamſi deteriora ſint, inſuetis minus moleſta eſſe ſolere; Et quae ſunt ejus generis plura.

§. CXV.

Quibus ita praemiſſis *hygieinen*, doctrinam nempe in arte noſtra longe utiliſſimam exorditur, quam duobus membris comprehendit, quorum altero ſeries earum rerum, quae quaſi materia ſunt ſanitatis, rerum ſcilicet non naturalium, quae quippe ſingulae corpus noſtrum varia ratione adſciendi vi pollent, exponitur. Quia vero dietae illae cauſae non ſolum ſanitatē corporis conſervare, ſed & evertere eandem poſſunt, niſi juſta menſura, modo ac tempore opportuno adhibeantur, magnaue ſit ratione aetatis, ſexus, temperamentorum aliarumq; circumſtantiarum, & corporum diverſitas, neque omnibus eadem com-
moda.

moda sint atque utilia: Hinc *secundo membro* proponit methodum tuendae sanitatis, qua nempe ratione singulis istis rebus non naturalibus vulgo sic dictis recte utendum sit, ut sanitas facta rectaque conservetur, & corpus humanum, quantum fieri potest, ad summam, sine multismorbis, senectutem perducatur? Atque adeo *Sennertus* agit primum de causarum salubrium vi atque facultate, deinde vero methodum tuendae sanitatis exponit, rationemque hisce omnibus, pro conservanda valetudine, recte utendi subjungit.

§. CXVI.

Quinto & ultimo libro pars medicinae *therapeutica* explicatur, quae nempe hominem in morbos jam prolapsam pristinae sanitati restituere & morbos varios propulsare docet. Ad quem finem ut pertingat medicus, duobus instructum subsidiis eundem esse debere, vult *Sennertus*, nempe *primo* methodo, qua per certas indicationes remedia seu juvantia inveniantur; *Deinde* vero materia auxiliorum, qua etiam id, quod per indicationes inventum est, exequatur: Quorsum non solum totam de medicamentorum facultatibus doctrinam, sed & de chirurgicis auxiliis & materia diaetetica tractationem reducit. Ad haec enim tria capita, nimirum *diaetam, chirurgiam & pharmaciam* omnia medici instrumenta revocari possunt. Ut adeo hoc postremo libro agat *Sennertus* non tantum de simplicium medicamentorum facultatibus & auxiliis chirurgicis, quatenus ad materiam medicam pertinent; Sed & de methodo medendi ipsorumque remediorum compositione. Quia vero medicamentorum facultates non aliter, nisi methodo *Galenicis* consueta & solemni, per primas nempe qualitates, *calidum, frigidum, humidum & siccum* in *primo, secundo, tertio & quarto gradu* explicantur: Hinc in iis prolixius enarrandis non morabimur.

§. CXVII.

In *Chirurgia* vero nihil aliud praestat. quam ut quinque generales Chirurgiae operationes breviter percurrat, nempe

nempe *synthesin* seu separatorum conjunctionem, *diorthosin*, seu eorum, quae intorta, inflexa vel compressa sunt, correctionem, *diaeresin* seu continui solutionem & *exaeresin* seu superfluum extirpationem ac deficientium restitutionem. Ad *synthesin* refert deligationem per splenia, ferulas & laqueos, deinde ossium fractorum coaptationem, luxatorum ossium restitutionem & partium molliorum v. g. uteri vel intestini recti &c. in loca sua naturalia repositionem, uti & partium vulneratarum per suturas, gluten ac fibulas fasciationem. Ad *diaeresin* reducit venaesectioem, abscessuum apertioem, fistularum incisionem, partium p. n. conjunctarum separationem, scarificationem, uisionem, rerum tam in corpore genitarum & p. n. retentorum, quam eidem foris illatarum extractionem &c. Tandemque capite ultimo adhuc de partium amissarum restitutione, quam *Chirurgiam curtorum* vocant, agitur.

§. CXVIII.

Cum vero nequaquam sufficiat medico, instrumenta seu adminicula ad sanitatis pristinae recuperationem morborumque depulsionem utilia nosse, sed & opus sit, perspectum habere, qua ratione quolibet remedio ita utendum sit, ut amissa sanitas instauretur: Hinc *methodum medendi* nunc subjungere *Sennerto* placuit. Id autem eo ordine fecit, ut primum aliquem quasi praegustum praeberet philiatris de medendi methodo & indicationibus in genere; Quem in finem sequentia fundamenta ac veluti axiomata ex *Galeno* subministravit: Omne, quod indicat, aut sui conservationem aut ablationem indicare: Quod secundum naturam est, conservandum, quod vero praeter naturam, tollendum esse; Contraria contrariis removeri, sicuti similia similibus conservantur &c. Quibus ita generatim praelibatis, specialius disquiritur, quid causae morbosae & inter illas cacoehymia indicent? Ubi deinde ordine agitur de evacuatione per purgationem, urinas, sudores nec non de particularibus evacuandi modis, de

tollenda sanguinis abundantia per hirudines, cucurbitulas, scarificationem, venae sectionem &c. non neglecta hic etiam, tanquam loco admodum opportuno, doctrina de revulsione ac derivatione humorum, quae per universam praxin medicam latissime sese diffundit. In methodo vero curandi morbos intemperiei totiusque substantiae brevior est, quam per ea, quae superius *theoretice* de illis rebus dicta atque prolata fuerant, sperari licuisset: Sicuti & ea, quae ad indicationem vitalem pertinebant, brevissimis expedit.

§. CXIX.

Supereft *Pharmacopoeia*, quae ad calcem *Institutionum Sennertianarum* adjicitur, quamque multas ob rationes medico necessariam esse existimat, estque illa *medicinae therapeuticae* pars subsidiaria, quae de genuina medicamentorum praeparatione & compositione tractat. Expositis itaque, quae ad praeparationem medicamentorum artificiosam necessaria esse judicavit, additisque mensuris ac ponderibus medicorum, nec non praecipuorum medicamentorum dosibus declaratis, propius deinde accedit ad ipsas Chymicorum operationes, magis tamen generales ac veluti ministras, quales sunt tritura, laevigatio, rasio, limatio, liquatio, solutio, deliquium, tostio, ustio, cinefactio, calcinatio, putrefactio, fermentatio, cribratio, lotio, maceratio, infusio, coctio, colatio, despumatio, clarificatio, filtratio, digestio & expressio &c. Deinde vero varias medicamentorum formas exponit, uti sunt decocta tam purgantia quam alterantia, infusa, vina medicata, aquae & spiritus destillati &c. In quibus omnibus licet debitam, quae talibus in rebus requiritur, exactitudinem nondum adsecutus fuerit *Sennertus*, in eo tamen laudandus est, quod à prava illa, quae ad ea usque tempora viguerat, consuetudine medicorum recesserit, & in eo quoque doctrinae medicae genere praestare aliquid voluerit, licet novatoris vel plane *haeretici medici* ignominiosissimo nomine subinde à coecis antiquitatis adoratoribus fuerit traductus, sicuti in

Praefa-

Praefationibus huic operi praemissis hinc inde conqueritur. An vero *plagiatorum* seriei, id quod *Stollium* fecisse, haud ita pridem in ejusdem *introductione in historiam litterariam medicinae* observavi, adnumerandus sit, alio loco commodius disquiram.

§. CXX.

Atque haec est genuina *Institutionum Sennertianarum* facies, quas, cum nimia prolixitate laborare ipsemet animadverteret, in epitomen contrahere non dubitavit. Quod Viri celeberrimi institutum alii quoque secuti sunt, & *Institutionum Sennertianarum* compendium, alii hac, alii alia forma ac facie exhibere conati sunt. Sic *Johannes Theodorus Schenckius*, M. D. ejusdemque Prof. in Acad. Jenensi publicus, qui *Gothofredo Moebio*, institutionum dicta in universitate Professori Ordinario successerat, *synopsin Institutionum medicinae disputatoriam* reliquit, de quibus ipsemet testatur, quod in illis opera *Danielis Sennerti* & *Guerneri Rolfincii* usus fuerit. Continent, praeter *prolegomena*, etiam *physiologiam* & *pathologiam*, quae partes omnes veterum non minus quam recentiorum fundamentis principiisque sunt illustratae. Methodus ipsi, ut nonnullis aliis, arrisit *disputatoria*, quae quippe uti juventuti Academicae informandae ad exercitandum; Ita ad vires ingenii in palaestra disputatoria periclitandum est adcommodatissima.

§. CXXI.

Quod speciatim *prolegomena* attinet, illis more, institutionistis solemni, agit non modo de primis artis medicae originibus, sectis, necessitate & praestantia, sed ipsam quoque ejusdem definitionem divisionemque in suas partes exhibet.

§. CXXII.

Quibus ita praemissis ad *physiologiam* sese confert, tractatque primum de sanitate, quam cum *Galeno* definit, esse *potentiam corporis exercendi actiones naturales*; sive plenius: *Esse constitutionem corporis naturalis & consequenter partium ejus viventium,*

rium, actiones vitae necessarias exercendi vim habentem. Potentiae huic opponit impotentiam, quam morbum esse, ait. Partes corporis cum Hippocrate distinguit in humores, spiritus & partes solidas. Has iterum dispescit in similes & dissimiles; Illas tamen nempe similes neququam spermaticas cum veteribus esse dicendas, rite sustinet. In describendis spiritibus, calido innato & humido primigenio plus sibi faceffit negotii, quam usus exiguus ex tricis talibus scholarum expectandus, requirebat. Eodem plane modo in recensendis animae facultatibus sese gerit. Has quoque, absente vel destructo temperamento, nihil operari, sed ab actione sua cessare existimat. Illud autem sic describit: *Esse qualitatem ex mutua actione primarum qualitatum, calidi nempe, frigidi, humidi & sicci, ortam, ex iisque remissis & fractis resultantem.* Praeter praedictas qualitates in sanguine etiam *salsum, dulce, acidum, acerbum, amarum, insipidum & reliqua infinita, omnigenas facultates* habentia admittit, quae omnia, licet homini insint, eum tamen non adffigant, dummodo mixta ac bene contemperata sint.

§. CXXIII.

Plura talia recensere merito supersedeo, ex quibus interim colligi facile potest, aliam faciem ipsam quoque *pathologiam, si physiologiae*, ut decet, respondere debeat, habere vix posse.

§. CXXIV.

Porro in Academia Lipsiensi compendium ejusdem *Sennerti Institutionum XVII.* disputationibus publice proposuit *Georgius Mochingerus*. Non minus *Christianus Winckelmannus* in tyronum medicinae gratiam Viri clarissimi, *Danielis Sennerti Institutionum medicinae* summam, tabularum forma breviter atque succincte concinnavit. Similiterque aphorismos ex *Sennerti Institutionibus medicis* magna industria collegit *Johannes Joachimus Becherus*, Spirensis, Med. D. & in Alma Moguntina Institutionum P. P. qui aliis quoque scriptis, imprimis *Physica sua subterranea* eruditus satis sese com-

mendavit. Aphoristica forma concinnavit institutiones suas, ne ea parte molestus esset, qua ipsius olim Praeceptores molestiam olim crearunt.

§. CXXV.

Alia plane via incessit *Jacobus Barnerus*, Elbingensis, qui, uti anatomicae pariter ac chymicae artis admodum peritus erat: Ita etiam ex principiis anatomico-chymicis artem medicam illustrare cordi habuit: Quare prodromum *Sennerti novi*, seu delineationem novi medicinae systematis evulgavit, in quo, quicquid à primis seculis in hunc usq; diem de arte prodiit, *Hippocratis, Galeni, Paracelsi, Helmontii, Sylvii, Willisii &c.* dogmata, examinare suscepit. Opusculum nec lectu injucundum nec omnino inutile est, sed attentum & circumspectum requirit lectorem, ne aliena, praxi contraria, in artem praeter opinionem invehantur.

§. CXXVI.

Condidit quoque *Institutiones medicas Johannes Christophorus Geilfusius*, medicinarum Doctor & Practicus, quas quidem primum in usum Collegii privati conscripserat & auditoribus suis explicuerat, deinde vero revisas, & historis, observationibus secretisque multis, quae titulus jactat, auctas in lucem edidit. Praemissis paucis, ut fere solent *Institutionum* scriptores, de medicinae constitutione generali & enarratis praecipuis ejus partibus, *physiologia, pathologia, semeiologia, therapeutica* atque *hygieine*, ad naturam hominis specialius in parte *physiologica* explicandam deprope- rat, quae quippe, humana nempe natura sit vera medica- trix, cui omnis medicina artificialis dextre adhibita tantum ancilletur. Ad ea vero, quae homini natura insunt, refert praeter temperamenta, spiritus, partes, humoresque, quibus quoque functiones addit. De temperamento ratio- cinatur more veterum; Existimat enim, ad complexionem quam naturam hominis vulgo vocant, tria requiri, nempe elementum, calidum innatum & animae praesentiam;

Ex quibus proinde absolutam hominis temperationem, cuius individuo congruam, emergere credit: Quae an utilissimam hanc & medico absolute scitu necessariam doctrinam multum illustrent, admodum dubito. Hinc ad partium divisionem progreditur, atque more recepto in *continentia, contenta & impetum facientia* universum hominis corpus distinguit, non omissis tamen etiam reliquis partium divisionibus in similes & dissimiles, instrumentales seu organicas, principes & ministras, aliisque, quas hodie *Physiologi* nullo amplius numero habent.

§. CXXVII.

Quibus ita praemissis, historiam trium cavitarum, in quas corpus humanum ab Anatomicis dividi consuevit, omniumque viscerum in illis contentorum prosequitur, eisque artuum considerationem subjungit; Qua tota in tractatione nihil occurrit, quod non centies ab aliis dictum fuerit. Hisce interim sic expositis, pergit ad sanguinem ejusdemque motum; Elaboratio illius, secundum mentem *Auctoris* nostri, qui hic iterum vestigia premit veterum, succedit ex chylo, proprio hepatis calido; Eadem propemodum ratione, sicuti vinum generatur in vite, ita hepatis parenchyma bene valens calidoque geniali vegetum gignere purum atque defaecatissimum sanguinem opinatur. Motum tamen circularem recte agnovit eumque ex venae sectione ipsoque sensu probavit. Quae vero de functionibus circa finem hujus partis adduntur, magni momenti non sunt.

§. CXXVIII.

In libro *Institutionum* suarum secundo agit *Geilfusius* de morbo ejusdemque causa & symptomate: Causam enim sequitur morbus & morbum comitatur symptoma. Sicuti autem sanitatem in hisce tribus consistere dixit, nempe in convenienti crasi, deinde in naturali justaque habitudine organorum, ac denique in unitate: Ita triplex morbi genus inde resultare docuit, nempe morbum intemperiei

riei seu perversam dispositionem *crasceas*, deinde morbum compositionis seu malam dispositionem organizationis ac denique morbum solutae unitatis, qui organi violenter divisi habitudinem supponit: Quae tria summa morborum genera, si verum fateri fas est, angustiora sunt, quam ut omnes morbi eo reduci queant. His in genere praemissis, sistitur deinde brevis & compendiosa enarratio adfectuum cordis, stomachi, intestinorum, jecoris, lienis, renum atque testiculorum, nec non ipsius quoque pectoris & cerebri, addita tamen etiam succincta morborum muliebrium delineatione.

§. CXXIX.

Tertia pars brevior est, in qua quippe, posteaquam signorum definitionem atque divisionem proposuit *Auctor*, specialius agitur de signis, quibus morbi species investigatur, deinde de inspectione urinarum, exploratione pulsus, praesagiis, crisi- bus signisque laesionis viscerum.

§. CXXX.

In *medendi methodo* differitur primum de indicatione & remediorum inventionem, tum vero, qua ratione eorundem vires atque facultates, nec non remedia ipsa lege artis paranda sint, monstratur. Postremo agitur de actu purgatorio & venaesectione, cui tanquam vicariam substituit scarificationem & paucissimis adhuc ratio victus perstringitur. Ubi hoc unicum tantum monere placet, *Auctorem* nostrum longe plus in rubro promississe, quam in nigro praestitit. Ubi enim sunt rariores observationes, quas titulus pollicetur? Ubi secreta? Quae etiam, si lucerna *Dionigenis* quaereres, non reperies? Atque adeo *Institutionibus* hisce pereuntibus, mundum quoque perituum, non facile metuendum est.

§. CXXXI.

Spero etiam, orbem eruditum sine incommodo vel detrimento nunc cariturum *Institutionibus Caspary Hoffmanni*, medicinarum Doctoris & Professoris in *Academia Noricorum Altdorffia*

dorffina, qui satis etiam prolixè in hunc sese campum diffu-
pit, ut integris VI. libris *Institutiones medicas* complexus sit,
quas deinde in compendium ipsemet redegit, ex quo pro-
inde, quid sperare debeant tyrones artis, paucis hoc mo-
do declaramus.

§. CXXXII.

Galen strenuum fuisse sectatorem *Nostrum*, extra dubi-
um est: Quia in varia ejus scripta commentarios compo-
suit, quales sunt de usu partium humani corporis &c. po-
tissimum vero testis ejus rei est apologia pro *Galeno* sive
Χρησόμενα Γαλιένου opus, quod veritati medicinalium dogma-
tum illustrandae, Galenique gloriae adferendae utilissi-
mum, omnibus denique sanioris medicinae cultoribus
summe necessarium esse depraedicat.

§. CXXXIII.

Ast vero, ut ad *Institutiones Hoffmanni* nostri propius acce-
damus, primo statim in limine animadvertere jubemus Le-
ctorem, eum quoad *universalia* de medicinae natura, sub-
jecto, sine ac divisione communem & a plerisque hacten-
us tritam calcasse viam. In *Physiologia* agit de elementis
more Physicorum, deinde de temperamentis, quae ad
mentem *Galen*i vel ut *simplicia*, vel ut *composita* considerat, at-
que adeo priori intuitu temperamentum distinguit in *cali-
dum, frigidum, humidum & siccum*, posteriori vero in *calido-humi-
dum & calido-siccum, in frigido-siccum & frigido-humidum*. Subjun-
git deinde tractationem de partibus solidis, quas in *similares*
ac *dissimilares* aliorum more distinguit, ad priorem classem
referendo carnem & fibras, membranas atque tunicas, ve-
nas, arterias, nervos, tendines & musculos, ligamenta,
cartilagineas & ossa, ungues, pilos, glandulas, cutim, cu-
ticularum & membranam carnosam. Hanc tractationem ex-
cipit historia partium solidarum *dissimilarium*, quorsum re-
fert abdomen ejusque musculos, peritoneum, gulam, oe-
sophagum, ventriculum, intestina, mesenterium cum va-
sis meseraicis & pancreate, omentum, hepar, lienem,
vesi-

vesicam felleam, renes cum vasis emulgentibus, vesicam urinariam cum ureteribus, vasa spermatica foeminarum cum testibus & utero, mammas, thoracem, costas, sternum cum musculis thoracis, diaphragma, pleuram & mediastinum una cum corde, quod ambitu suo thoracem in partem dextram atque sinistram distinguit.

§. CXXXIV.

Hic vero, digressionem quadam facta, de calido nativo pauca commentatur, de cujus origine hunc Lectori suo conceptum insinuare conatur, derivandam illud esse ex semine paterno, quod in uterum receptum ex attracto sanguine domum sibi formet; Ipsum vero vel totum vel maximam partem absumi in substantiam sanguineam, eo modo, quo coagulum in caseos vel fermentum in panes reciperetur. Progreditur hinc ad pericardium & humorem in eo contentum, venam arteriosam & arteriam venosam earundemque valvulas, venam cavam, arteriam magnam & earundem valvulas, auriculas cordis, ligamenta, vasa nutrientia & thymum, pulmones, asperam arteriam, caput & spinam, pericranium, cranium, suturas cranii, utramque meningem, cerebrum & cerebellum, nervos inde oriundos, musculos capitis ejusque motum super spina. Hinc discursum suum profequitur, agitque de spina ejusque partibus, de vertebrae spinae, cartilaginibus & earum ligamentis, de meningibus spinalis medullae & medulla ipsa, de nervis inde ortis, de musculis spinalibus, oculis partibusque omnibus circumstantibus, de humoribus, tunicis, musculis & trochlea, de vasis, de auribus & reliquis externorum sensuum organis, ut & artibus tam superioribus quam inferioribus: Quae tamen omnia ex Anatomicis praesupponenda, non docenda vel ex professo inculcanda erant.

§. CXXXV.

Descriptionem partium solidarum excipit doctrina humorum, ubi agitur de chylo ejusque viis, quas ille me-

seraicas rubras esse existimat, quae quippe chylum sub vaporis specie attrahant & ad officinas sangvificas, hepar atque lienem deferant. Hinc porro sermo instituitur de sanguine ejusque temperamento ac differentiis, ubi etiam quaestio discutitur, quaenam pars princeps sit in opere sanguificationis? Suscipitur deinde tractatio de excrementis, & primum quidem utilibus, uti est semen tam masculinum quam foemininum, lac, pingvedo, medulla ossium, deinde vero etiam inutilibus singularum coctionum, ubi ad excrementa primae coctionis refert pituitam ejusque varias species, salivam & sputum, ad excrementa secundarum coctionum bilem cum succo melancholico & ad tertiae coctionis excrementa serum atque ichores. Ad excrementa particularia reducit fuligines cerebri, quae partim per suturas, partim per os sphenoides, cui *Noster* quoque ethmoides addit, pertranseant. Huc pertinent excrementa oculorum & aurium, lacrymae nempe cum cerumine. Tandemque universam tractationem *physiologicam* doctrina de facultatibus & actionibus obfignat.

§. CXXXVI.

Physiologiam excipit *Pathologia*, ubi, missis universalibus de sanitate ac morbo in genere, utriusque subjecto atque differentiis, causis, symptomatis &c. descendit *Hoffmannus* ad particularia, ubi agit de intemperie nuda, morbosa, calida, tam simplici quam composita, quorsum refert febres, quarum differentias, causas & symptomata ordine exponit. Hinc pergit ad intemperiem viscerum deque ventriculi, intestinorum, hepatis & lienis, ut & renum & cerebri imbecillitate eaque occasione de melancholia, vertigine, mania, memoriae imminutione, & fatuitate &c. agit. Ad intemperies cum substantiae affluxu reducit erysipelas, inflammationem, oedema atque scirrhum, & pro varia compositionis ratione inflammationem erysipelatoden, erysipelas phlegmonodes, & sic de caeteris; Quibus historia inflammationum particularium, ventriculi v. g. intestinorum,

norum, mesenterii, renum, uteri, vesicae urinariae & diaphragmatis subjungitur. Ad seriem vero morborum organicorum referuntur morbi conformationis in figura &c. quos excipiunt morbi tam in cavitatibus strictis quam laxis, quos ordine referre nimis prolixum foret.

§. CXXXVII.

In *femeiotica* hanc signorum doctrinam in ordinem redigere adlaboravit: Unde praecipuos eorundem fontes constituit praeter alia temperamentum tam totius quam partium, quod tamen universum negotium falso conceptu de frigiditate vel caliditate horum vel illorum viscerum nititur: Unde suo illa loco relinquentes id tantum addimus, quod signa *pathognomonica* ex *Galen*i mente sic satis accurate recensita sint. *Prognosis* vero more reliquorum ex urinis, sudoribus, vomitibus atque dejectionibus, sputo, pulsibus, respiratione &c. petendam esse docet.

§. CXXXVIII.

Postquam igitur hoc modo tyronem artis satis instruxit in cognitione, quae ad artem ipsam pertinet: Proximum nunc est, ut illi quoque instrumenta suppeditet ac doceat, qua ratione uti illis debeat? Sunt autem haec instrumenta diaetetica, pharmaceutica atque chirurgica, quae, prout reliqua omnia, breviter, attamen more suo accurate pro sua, quam de rebus hisce habebat, theoria perstringit.

§. CXXXIX.

Prius vero, quam *Hoffmannum* nostrum deseramus, adhuc paucis notamus, quod *Isagogen* medicam doctissimi hujus viri, quem *Hermannus Conringius* semper *Χαρισματον* suum vocat, ediderit *Jacobus Pancratius Bruno*, *Altdorffinus*. Huc etiam pertinent dogmata medicinae generalia, in ordinem ab ipso redacta, à rebus extraneis depurata, & ad vera, inprimis recentiorum principia adcommodata.

Suus etiam locus inter *Institutionum* scriptores est relinquendus *Lazaro Riverio*, consiliario, medico & professori Regis Galliarum, Ludovici XIII. nec non regionum in *Universitate Monspeliensi* medicinae professorum Decano, qui, cum ingeniose expendisset, pari propemodum difficultate ad practicam medicinae partem accedi, & ex coelo quasi artem optimam ad ipsa aegrorum cubilia devocari, nisi theoreticas ejus partes, *physiologiam, pathologiam, semeioticam* & ipsam quoque *medendi methodum* generalem adfidue prius excoluerint tyrones, pari, inquam, difficultate, qua olim divinus Socrates à theoretica Philosophia ad practicam accessit, atque ita divinam artem quasi e coelo in urbes devocasse dictus est: Hinc ut artem, non paucis difficultatibus implicitam, tanto faciliorem philiatris redderet, *Institutionum* forma de singulis medicinae partibus eo modo differuit, quem genius temporum, quibus vixit, permittebat. Neque omnia indiscriminatim, quod ante ipsum pene multi fecerant, ex *Hippocrate* & *Galeno* mutuatus est, verum non pauca quoque de suo addidit: Ut in epistola dedicatoria ad *Franciscum Vautierium*, olim *Mariae Medicae, Reginae Christianissimae* Archiatrum, tum vero *Archiatorum Galliae Comitem*, scribere non erubuerit, miraturos esse antiquos Jätricae disciplinae parentes, si hodie reviviscerent, eximiam artis magnitudinem tot posterorum inventis locupletatam, tot experimentis auctam, ut formam pene cum aetate commutasse videretur. Neque tamen dissimulare potest, in theorica medicinae parte, eadem prorsus apud plerosque Auctores occurrere praecepta, adeo ut eandem cramben iterum atque iterum coctam ac decoctam non sine taedio esitare cogantur Lectores; A quorum tamen numero ipsum quoque *Riverium* minime excludendum esse, facile fatebuntur omnes, quibus integrum *Institutionum* opus animo recolere volupe fuerit.

§. CXLI.

Dividitur illud, praeter praecognita in universam medicinam, in *physiologiam*, *pathologiam*, *semeioticam*, *hygieinam* & *therapeuticam*, quo modo etiam caeteri plerique scriptores *institutiones* suas hucusque dispertiri consueverunt. *Physiologia* septem continetur sectionibus, in quarum *prima* de elementorum natura, numero, qualitatibus & mixtione; In *secunda* de temperamentis eorumque differentiis & criteriis, nec non de temperamentis aetatum, sexuum anniq; temporum agitur. *Tertia* expendit humorum indolem & differentias agitque primum de sanguine proprie dicto, de pituita, bile & melancholia alimentaria, porro de humoribus secundariis, bile & melancholia excrementitia, de sero & pituita excrementitia &c. *Quarta* doctrinam de spiritibus eorundemq; differentiis & calido innato prosequitur. *Quinta* naturam partium similarium, dissimilarium & organicarum; *Sexta* facultates earumque functiones, & *septima* denique hominis generationem perscrutatur, & de semine utriusque sexus, de sanguine menstruo mulierum, de conceptione singularumque partium delineatione ac perfectione nec non de partu sermonem instituit.

§. CXLII.

Quod *pathologiam Riverianam* attinet, illa quatuor tantum sectionibus comprehenditur, in quarum *prima* non modo morbi natura in genere, sed & variae illius differentiae, potissimum accidentales, explicantur. In *altera* agitur de mutationibus morborum ac potissimum de crisi- bus & causis tam crisi-um quam ipsorum quoque dierum criticorum; Ubi quidem non pauca lectu digna occurrunt; Multis tamen modis supervacuum etiam videri posset, praeter naturam ipsos coeli astrorumq; motus & influxus, tanquam crisi-um causas allegare. Interea sicuti sectione *tertia* morborum causae; Ita in *quarta* symptomatum natura, causae atque differentiae expenduntur.

§. CXLIII.

In *semeiotica Institutionum parte*, tradita *duabus prioribus sectionibus* signorum natura in genere & declaratis praecipuis fontibus, ex quibus peti solent, exhibentur primum quorumvis humorum in corpore praedominantium signa, quibus deinde signa partium vel primario vel per consensum tantum laborantium, morborum itidem vel benignorum vel malignorum, acutorum vel chronicorum &c. subjunguntur. Hinc *sectione tertia ad prognosin* fit transitus: Sicuti autem hac *prognostica* medicinae parte magnam imprimis famam atque auctoritatem medicus conciliare sibi potest: Ita *Riverium* nostrum non vulgariter in ea versatum fuisse, tota hac sectione solide demonstravit, in qua multa lectu jucunda & utilia simulque apprime necessaria occurrunt, quae de modo crifium, de tempore, quo morbi finiuntur ad ipsam usque diem & horam crifeos, de loco, per quem futura est, an per vomitum, vel alvi fluxum, vel sudores, vel urinas, haemorrhagiam vel menses & haemorrhoides vel per abscessus successura? Imo plane de signis futuri delirii, de signis convulsionis & futurae recidivae magno cum judicio & prudentia practico-clinica differuit.

§. CXLIV.

Et sicuti non minus mortales sibi devincit, qui regularem vivendi rationem ipsis praescribendo ab insultibus morborum praeservat, quam qui eosdem jam actu aegrotantes à quovis gravissimo morbo liberat: Ita nec hanc medicinae partem intactam reliquit *Riverius*. Exposuit enim ordine naturam esculentorum ac potulentorum, determinavit eorundem quantitatem ac qualitatem, ordinem, tempus & horam adsumendi, consuetudinem ac delectationem in usu alimentorum, victum non singulis modo aetatibus sed & quibusvis anni temporibus idoneum una cum historica enarratione praecipuorum alimentorum, uti sunt panis, hordeum, coryza, avena, olera & radices usitatiores esculentae quaeque ex animalium genere petuntur. Quibus omnibus

omnibus circa finem exercitatio de usu & abusu rerum non naturalium additur.

§. CXLV.

Postrema seu therapeutica parte, qua medendi methodus generalis exhibetur, sectione prima agitur de indicationibus illarumque differentiis, de indicantibus, coindicantibus, contraindicantibus & correputnantibus, de indicato nec non primo atque generalissimo curationis principio, quod est: Contraria contrariis curari. Quamquam autem de isto, si sic dici mereatur, principio, eandem sibi pollicitus sit certitudinem, quam de suis axiomatibus sibi haecenus promiserunt Mathematici: Atamen innumeris, quod vulgo dicunt, instantiis res illa infringi facile potest, & si conjicere fas est, non aliam forte ob rationem iis temporibus dominatum in scholis medicorum obtinuit, quam solo coeco erga sectam Galenicam amore, cui, quicquid etiam noster dissimulet, citra contradictionem addictus fuit. Caeterum sectione secunda, tertia & quarta de indicantibus a causa, morbo & viribus sic satis adcurate differitur.

§. CXLVI.

Suam insuper huc symbolam, sed alia, nempe tabularum forma, huc contulit, & institutiones in tyronum gratiam concinnavit *Godofredus Moebius*, Med. D. & in Academia Jenensi P.P. ordinarius, nec non Electoris Brandenburgici & Administratoris Archiepiscopatus Magdeburgici t. t. Archiater, quae tamen maximam partem ex fundamentis medicinae physiologicis constant, in quibus naturam & origines medicinae, doctrinam de animae facultatibus, spiritibus ac temperamento, nec non constitutionem partium principalium naturalem & praeter naturalem una cum earum usu ex veterum aequae ac recentiorum sententiis ventilavit variisque observationibus illustravit, quas deinde post Parentis obitum in gratiam tyronum in synopsis contraxit *Godofredus Moebius*, Auctoris filius. Sed,
si in

fi ingenue fatendum, quod res est, videntur hae tabellae modernis scholarum usibus parum aptae, quia in parte *Physiologica* omnes propemodum ac singulae antiquorum fabellae de spiritibus vitalibus, genitalibus, animalibus &c. de qualitatibus occultis, idiosyncrasia, temperamentis astralibus, ab influxu astrorum vel praedominante planeta in themate natalitio petendis, qualitatibus primis, calido, frigido, humido, sicco variaque earundem mixtura & contemperazione, facultatum animae inutili multiplicatione &c. denuo recensentur, quae an veram ac solidam theoriam, nempe vere medicam, futuris usibus pathologico-practicis recte inservituram multum juvare ac promovere queant, non multa ad intelligendum attentione indiget.

§. CXLVII.

Quod vero *Pathologiam* spectat, pleraque terminis Logicis & Metaphysicis ita involuta sunt, ut non debeant non tyrones artis primo statim intuitu ingens taedium talibus ex rebus capere. Ita ut unico tantum exemplo hanc rem illustremus, *prima tabula Libri secundi pathologica morbi naturam in genere declaraturus Moebius*, sistit praeter etymologiam & homonymiam, definitionem, genus, subjectum, causas, effectus & differentias essentielles vel accidentales &c. Ubi circa genus notat, morbum non esse substantiam, non impotentiam, non relationem, non motum, nec talem passionem, quae in actionis receptione consistat, nec tandem privationem negativam & quae sunt ejus farinae plura, quae non salivam, sed vomitum, etiam invitis, movere queant. Interea circa morbos partium similarium observat, quod sint vel intemperiei simplicis, ut calidae, frigidae, humidae, ficcae, vel compositae, ut calido-humidae, vel calido-ficcae, frigido-humidae vel frigido-ficcae, & quidem cum vel sine materia praeter naturali; Vel occultarum qualitatatum, quorsum pestem, febres malignas, luem veneream, scorbutum &c. refert.

§. CXLVIII.

§. CXLVIII.

In *tabula secunda* exhibet causas morborum, ubi praeter alia incondita hoc tantum observo, quod etiam principia Chymicorum, sal, sulphur & mercurius, seriei causarum morbificarum adnumerentur. Symptomata quod attingit, illa secundum diversitatem facultatum explicat, ita quidem, ut v. g. ad expultricem ventriculi facultatem irritatam referat singultum, nauseam, vomitum, choleram tam humidam quam siccam, lenteriam, passionem coeliacam & ructationem &c. Ad facultatem genitalem abolitam vel depravatam reducat sterilitatem, salacitatem, satyriasin, priapismum & sic de reliquis, quae referre ideo piget, quia pluribus hac in re speciminibus non est opus.

§. CXLIX.

Parte tertia exhibet *Moebius* noster synopsis signorum, quorum eosdem cum aliis quoque *semeiories* scriptoribus fontes agnoscit, & *diagnostica* quidem petenda esse existimat vel a laesa partium constitutione, vel a laesis actionibus, vel a qualitatibus mutatis, vel excretis & retentis, imprimis urina, pulsu, haereditaria dispositione, juvantibus atque nocentibus, nec non communiter vagantibus malis: *Prognostica* vero ex urina, pulsu, triplici symptomatum genere, sputo, lingua & respiratione haurienda esse arbitratur. Deinde admodum prolixus est in tradendis signis temperamentorum & quidem non totius tantum, sed & partium, cordis, cerebri, testium, uteri, pulmonum, hepatis, lienis, ventriculi, renum, quatenus singulae istae partes & viscera sunt vel calida & humida, vel calida & sicca, vel frigida & humida vel frigida & sicca &c. Quae tamen omnia partim aperte falsa partim inutilia & supervacanea sunt.

§. CL.

Methodum tuendae sanitatis *parte quarta* ita pertrahat, ut primum diaetam foetus in utero, deinde infantum recens in lucem editorum, porro puerorum ac Juvenum, tandemque mediae aetatis atque senum ordine describat; Hinc progreditur ad historiam rerum, ad sanitatem tuendam

necessariarum, uti sunt aër, cibus, isque vel ex vegetabilibus, uti sunt triticum, secale, hordeum, avena, oryza, fabae, brassica &c. vel ex animalibus, uti sunt lac, caseus, serum, ova, variae carnes & pisces &c. Porro potus, aquosus, vinosus, cerevisiarius, hydromel &c. motus item, somnus, balnea &c.

§. CLI.

In *postrema* seu *therapevica* parte, quae methodum mendi exhibet, sistitur synopsis indicationum non tantum curatoriarum, morborum intemperiei, occultarum qualitatum, conformationis, compositionis & solutae unitatis, sed etiam praeservatoriarum atque vitalium, quibus deinde indicationes symptomatum urgentium, doloris, vigiliarum molestarum, sitis intolerabilis, fluxuum alvinorum, vomitionum symptomaticarum, lipothymiarum &c. subjunctae sunt. Atque his omnibus tandem synopsis virium medicamentorum adnectitur, non modo ratione qualitatum primarum manifestarum, qualia sunt vel calida in primo, secundo, tertio ac quarto gradu vel frigida dictis in gradibus, sed & ratione secundarum ac tertiarum qualitatum, qualia sunt emollientia, indurantia, adstringentia, resolventia, attenuantia, aperientia, incrassantia, atrahentia, repellentia, vesicantia &c. Haec tandem excipiunt ea, quae cuivis parti adpropriata sunt, exemplo cephalicorum, thoracicorum, cardiacorum, hepaticorum, spleneticorum, uterinorum &c. Ut de fonte *pharmaceutico*, quae *ultima* sunt omnium, hac vice nihil addam, ne inutilium & supervacuarum rerum, a quarum lectione Philiatros omni modo dehortor, farragine chartam & tempus perdam.

§. CLII.

In Academia Lipsiensi hanc elementarem artis medicae partem secundum principia & experimenta *chymica* atq; Anatomica *Helmontii*, *Willisii*, *Sylvii*, *Tachenii* aliorumque Neotericorum illustrare conatus est *Michaël Ettmüllerus*, Phil. ac Med.

Med. D. hujusque in alma Lipsiensi P. P. Ord. & Practicus olim per omnem Europam celeberrimus. Edidit non modo Collegii *Institutionum medicarum* in theses concinnati synopsis, *physiologia*, *pathologia*, *hygiene* atque *therapevsi* comprehensam, sed & Collegii *Institutionalis* discursum theoretico-therapevticum: Quorum illo tyronibus, hoc vero pro-
 vectioribus consulere voluit.

§. CLIII.

Missa hac vice epitome, de *Institutionibus Ettmüllerianis* id potissimum hic notamus, quod praeter prolegomena, quae de medicinae natalitiis, progressu & auctoribus, nec non de ejusdem natura, definitione ac divisione agunt, complectantur *physiologiam*, *pathologiam* cum *diagnosi* & *prognosi*, *hygiene* atque *therapevticam* generalem atque specialem, cui harmonice *collegium therapevticum* connexum est.

§. CLIV.

Quod igitur specialius *Physiologiam* spectat, admodum quidem prolixus est *Auctor* in recensendis *primo capite* corporum naturalium principiis, materia nempe & motu, quae tamen omnia ita comparata sunt, ut ad genuinam theoriam medicam parum vel nihil conferant: Id quod compendiosa recensione ad D. D. *Johannem Acoluthum*, *Physicum* & *Practicum Wratislaviensem* transmissa dissimulare non audet, quando hunc in modum scribit: *Pauca & parca in naturalibus scientia apodictica, nisi quam ex mathefi haurire licet: Reliquum omne, quod scimus, experimentis, phaenomenis & observationibus effectuum naturalium innititur, quorum fiendi causarumq; ratio cum ut plurimum delirescat, hypotheses variae oriuntur, ex quibus illae sunt optimae, quae plurimum phaenomenorum naturalium explicationem theoreticam conceptibiliorem, & applicationem practicam faciliorem reddunt.*

§. CLV.

Vix felicius negotium ipsi cessisse videtur, quando à tractatione principiorum corporum naturalium in genere

ad specialem tractationem de corpore humano ejusdemque principio vitali *capite secundo* transitum fecit: Ubi recte quidem agnoscit, *corpus humanum vivens* esse verum artis medicae *subjectum & objectum*; Mox tamen paria cum *mechanicis* faciendo, corpus illud vivum considerat tanquam automa, cujus structura in se considerata, non secus ac reliquorum omnium animalium nihil aliud, quam machina quaedam naturalis hydraulico - pneumatica sit, ex variis organis, pro multiplicibus actionibus artificiosissime fabricata, in hoc solo differens à machinis artificialibus, quod hae externum habeant motorem, à quo partim exstruantur, partim etiam moveantur; Illa autem à principio interno spirituofo dependeat, à quo dicta machina non exstruitur tantum, sed etiam fabricata ad varias actiones, motus & operationes, pro organorum diversitate, determinatur. Quapropter duo hic consideranda esse jubet, nempe 1.) structuram corporis humani materialem & 2.) ejusdem operationum principium seu corporis humani vivacitatem vel activitatem vitalem, secundum quam corpus vivere dicitur. Atque haec duo totius Physiologiae fundamenta imo universae medicinae primordia constituit.

§. CLVI.

Quoad structuram hominis, ibi haec tria potissimum considerat, nempe materiam, ex qua constat, deinde ejusdem variam texturam, ut tale corpus vel tales partes emergant, ac denique diversam materiae contextae modificationem, quae alias etiam qualitatum nomine venit, ac nullo alio, quam proprietatum nomine venire debent. In materiam, ex qua corpus humanum constructum est, inquirendo, recte quidem quatuor illa *Galenicorum* elementa inter non entia refert, verum pari incertitudine in locum destructorum substituit minutias corpusculorum, inter quae salinae emineant, quae mutua sua textura & partem ipsam & temperamentum ejus elementale constituent, quaeque particulae salinae cum sulphureis mixtae, & in continuo
fer-

fermentationis motu sustentatae, & ab aëre inspirato re-
refactae, resolutae & volatilifatae calorem concipiant, per
totum corpus sensibilem, quem vulgo vitalem dicunt. Pro-
indeq; , ubi tales particulae densius agglomeratae & firmitus
contextae atque unitae sint, inde partes solidas durasque,
ut ossa & viscera, enasci credit, sicuti easdem particulas,
mediante liquido dissolutas, & in continuo motu constitu-
tas, partes componere fluidas seu humores opinatur: At-
que ex his particulis summe volatilibus spiritus, machinae
nostrae corporeae rectores exurgere, i. e. fluidas atque
spirituosas corporis partes active sese habere & machinam
agitare, solidas vero passive & ab illis informari atq, mo-
veri, concludit.

§. CLVII.

Principium itaque movens & vitale, quod principa-
liter aëtuat universamque hanc machinam movet & ope-
rationes ipsi largitur, secundum *Ettmüllerum* nostrum, non
est anima cum variis suis facultatibus, quas schola *Peripa-
tetico-Galenica* eidem vindicavit, cum anima ista sit *ἀπαι-
στος*, & ad hominis vitam & corpus gubernandum, nul-
lum jus & commercium habeat: sed universum functio-
num animalium aequae ac vitalium systema per principia
mathematico-mechanica in seipsis infallibilia, materiae
applicata, id est, per particularum minutarum, omnia cor-
pora componentium diversas figuras, magnitudines, com-
positiones, situs, texturas & motus corporum naturalium
& sic animalium etiam viventium, explicandum est. Quia
vero nihilominus hae hypotheses materiales vix univer-
sales esse videntur, ac proinde in formatione corporum
organicorum, qualia sunt praecipue animalia, & in ope-
rationibus animalium internis, sensu & motu, vix appli-
cari posse videntur: Hinc tale substituit principium vita-
le, quod quidem sit materiale, at non crassum, fixum vel
difficiliter mobile, sed subtilissimum, summe activum, mo-
bilissimum & maxime volatile; Atque tale esse credit san-
guinem, in spiritum resolutum, per motum fermentativum,

mediante quo omnia mixta sulphureo-salina spiritum urinosum produunt, spiritum, inquam, volatilem, lucidum seu luminosum, lucis instar per universam corporis machinam penetrantem, qui quippe secundum *Auctoris* nostri placitum, vitale sit principium, quo non tantum corpus humanum actuetur sed & a corruptione praeservetur.

§. CLVIII.

Cum igitur, per modo dicta, in machina corporis humani quasi hydraulico-pneumatica originaliter & efficienter spiritus & sanguis principii moventis seu activi locum obtineant; Partes vero solidae & organicae subiectum passivum sint, quae ab istis in motum concitentur, ac ab illis in esse, fieri & operari revera dependeant: Jam vero, uti *Noster* ulterius ratiocinatur, operationes omnes hujus machinae respiciant vel conservationem ejus *in individuo vel in specie*, & illae directae sint ad esse vitale simpliciter, vel ad esse animale: Hinc ad tria generalia capita omnes corporis operationes seu functiones redegit, nempe ad vitales, animales ac genitales. Atque proinde hoc ordine, principio adserto convenienter, agit de nutritione & auctione, de appetitu animali, fame & siti, de alimentorum masticatione ac deglutitione, de chylicatione chylique in intestinis alteratione faecumque ex eo separatione, de chyli secreti per intestina transcolatione & ad alias partes distributione, ejusdem in sanguinem conversione sanguinisque fermentatione ac distributione ex corde ad quasvis corporis partes distributique usu, de pulmonibus & respiratione ejusque utilitate, de lienis & hepatis officio nec non de bilis generatione, de seri superflui, salibus abundantibus impraegnati, exclusione per renes, de motu sanguinis ad glandulas, earum usu lymphaeque ortu & natura, de motu sanguinis ad corporis circumferentiam factaque ibidem insensibili transpiratione, de motu ejusdem ad cerebrum spirituumque animalium generatione & officio; Quam tractationem sequitur
historia

historia sensuum tam externorum quam internorum nec non consideratio motus partium: Ex quo deinde diverticulo in viam reversus *Auctor*, prosequitur sanguinis motum ad testiculos ibidemque factam seminis generationem, deinde agit de conceptione foetusque formatione, de vita foetus ejusdemque nutritione in utero, tandemque universam *Physiologiam* tractatione de partu obsignat.

§. CLXIX.

Patbologiam conjungit *Noster* cum *diagnosi* ac *prognosi*, quia *femeioticam* illius partem esse credit, eamque quatuor tantum capitibus complectitur, quorum *primum* de natura & subiecto sanitatis, morborum atque symptomatum tractat, *secundum* differentias dictorum morborum considerat, *tertium* morborum & symptomatum, corpori humano contingentium, causas expendit, & *quartum* denique rationem cognoscendi affectus & causas, eorumque eventum per signa diagnostica atque prognostica pandit atque evolvit.

§. CLX.

Eodem modo in *tertia Institutionum parte* sese gerit, iterum nempe *hygiinen* cum *therapeutica* conjungendo. *Illius* praecepta unico, quod de ratione sanitatem conservandi agit, capite complectitur, cujus quippe generales tantum regulas cum respectu ad differentes aetates habito tradit, & quomodo diaeta sanis ordinanda sit, adnectit. Fundamentum diaetae legitimae generale monstrat, consistere in recto usu rerum sex non naturalium, non exclusa tamen insigni efficacia consuetudinis in conservanda prospera valetudine, quae quippe in alteram tandem naturam transire solet, cujus eximiae potentiae uti passim singulares prostant observationes: Ita memoratu inprimis digna est historia tritoris cujusdam, quam ex *Salmutho* recenset *Ettmüllerus*: Tritor quidam, quem febre correptum herus ipsius misertus in lectum reponi curaverat, cum in hoc noctes infomnes ageret & indies pejus haberet, ab adstantibus.

tibus tandem petiit, ut in terram super stramen collocaretur; Quo facto suavissime dormivit & aliis adhibitis brevi convaluit. Non minus quoque ingens consuetudinis energia observari potest in evacuationibus artificialibus, purgatione, vomitione, venae sectione, scarificatione &c. quas proinde, qui certis temporibus aliquoties admiserunt, denuo repetere coguntur, adeo ut, si illas negligant vel paululum saltem differant, non solum pejus sese habeant, sed plane circa venae sectae vel scarificationis locum pruritus seu stimulum quendam sentiant. Quibus ita praemissis, diaetam trifariam distinguit, nempe in *tenuem, crassam* atque *mediocrem*; Tandemque secundum aetatum diversitatem ordinat eandem, ut partim sanitas conservetur, partim vero morbi praecaveantur.

§. CLXI.

In *therapeusi* prolixior est *Ettmüllerus*, & capite primo agit de *methodo medendi* in genere, quam nihil aliud esse existimat, quam notitiam curandi per medicamenta & eorundem applicationem, talemque subinnuit artem, cujus ope medicus auxilia invenit eaque pro sanandis morbis legitime applicat: Tota res eo redit, ut credat *noster*, hanc medendi methodum consistere potissimum in judicio medici practico, super judicio ejus theoretico fundato, i. e. in accurata evolutione causarum morbificarum & inventione causatorum seu effectuum morbosorum, nec non in artificiosa applicatione mediorum ad causas evolutas, pro tollendis morbis & obtinendo fine, nempe sanitate. Quemadmodum vero judicium theoreticum viget in pathologo: Ita practicum obtinet in therapevta; Id quod tamen rationale esse debet, memoriae contradistinctum, quodque proxime in notitia oeconomiae animalis seu microcosmi particularis, quam Anatomiae studium suppeditet, remote vero in historiae universae naturae seu macrocosmi cognitione fundatum esse debeat: Unde ex horum, judicii nempe theoretici & practici, diversimode su-
per

per cognitione oeconomiae animalis & universae naturae fundatorum, diversitate, diversas & varias medicorum hypotheses, tam in theoria quam praxi ortas fuisse existimat, quae prout diversimode variant, ita quoque methodum medendi & iudicium medici practicum differre, indeque aliam exurgere methodum medendi *Galenicam*, aliam *Paracelsicam*, aliam *Helmontianam*, & sic deinceps, existimat: Quarum tamen nulla facile, multo minus penitus, in praxi sit rejicienda, cum quaelibet alleget rem facti, & certa quaedam habeat experimenta, ab universa natura & oeconomia animali petita, quae ratione modi applicandi tantum à se mutuo discrepent. Verum ea omnia ita comparata sunt, ut difficulter *Auctor* mihi illa sit persuasurus, qui constanter semper credidi, praxin medicam eo puriorem esse, quo ab arbitrariis talibus hypothesibus sive physicis sive chymicis alienior est atque remotior.

§. CLXII.

Interea *capite secundo* pergit *Noster* ad remediorum seu auxiliorum, ex triplici fonte, *chirurgico* nempe, *pharmaceutico* & *diaetetico* petendorum seriem enarrandam, quorum tamen omnium distinctionem non aliunde dependere putat, quam ab operationum gradibus, ita quidem, ut diaeta mitissimum, chirurgia vero generosissimum subministret remedium, pharmacia interim medio modo sese gerente.

§. CLXIII.

Huic vero generali medicamentorum considerationi specialior nunc eorundem tractatio à *Nostro* subjungitur. Cumque causae morborum secundum triplicem eorum classem, pro diversitate partium, quas affligunt, sint vel humorum, seu contentorum & spirituum seu impetum facientium vel continentium seu solidarum partium: Hinc *sektione prima* agit de humorosarum partium vitiis corrigendis, quae cum vel *in quanto* vel *in quali* peccare deprehendantur; Hinc *primo capite* disquiritur, qua ratione vitiosa

M

humo-

humorum, imprimis vero sanguinis quantitas sit imminuenda, cui scopo venaesectionem undique satisfacere, extra omne dubium repositum esse existimat. Quod vero notissimas veterum regulas, quas circa usum venaesectionis revulsorium ac derivatorium sancte observarunt, neglexerit *Noster*, id ex falsa modernorum theoria, qua deludi se una cum multis aliis passus est, profluxit, qua quippe de circulatione sanguinis hunc perversum sibi conceptum praefigurarunt, quod sanguis aequaliter feratur per universum corpus, & aequali circulo a quibusvis partibus refluat, in quas influxit, non vero determinate plus minus ad hunc vel illum locum amandetur: Cujus interea theoriae parum memor *Noster*, theoretice quidem concludit, tantam harum *revulsionum ac derivationum* utilitatem non esse: Quoad *experientiam tamen practicam*, non omnino de nihilo esse earundem observationem, atque adeo non simpliciter quidem rejiciendam, sed corrigendam tantum esse: Sic enim ultro concedit, revulsione sanguinem, in quadam corporis regione stagnantem in contraria vel opposita evacuari, ut aliquando promptius ad hanc fluat, & quantitate ejus imminuta nimium quoque stagnationis incrementum imminuatur. Ad quod comprobandum notabile allegat exemplum ex *Lindani Collegio Manuscripto* de mercatore quodam *Amstelodamensi*, cui dexter oculus erat inflammatus; Huic cum medicus senex venam secaret in brachio ejusdem lateris, magis inflammabatur oculus; Idque mirum esse non poterat; Quia sic sanguis majori impetu ad partem adfectam ruebat: Cumque altero die Chirurgus in sinistro brachio venam aperiret, oculus antea illaesus pari cum dextro inflammatione corripiebatur; Quod videns medicus, iterum secat venam in dextro brachio, & ibi rursus augeri inflammationem observat, adeo ut miser aegrotans ferme excocaretur. Tandem in consilium vocatur D. *Lindanus*, erroremque amborum videns, statim venaesectionem in dextro pede instituit, atque ita inflam-

inflammationem dextri oculi notabiliter imminui viderunt; Cumque altero die venaeſectionem in ſiniſtro pede repetiſſent, eundem in oculo ſiniſtro detexerunt effectum & ſucceſſum; Ut, ſublata tandem inflammatione, in integrum reſtitutus fuerit aeger. Ad quem notabilem caſum hanc tandem epicriſin jungit *Ettmüllerus*: *Haec fuit venaeſectio revulſoria, ubi quidem non laudanda copia venaeſectionis, ſed videndum ſaltem, quantum in oppoſita parte venaeſectio in reſeſſu habeat.* Tantum itaque efficaciae cum exerat venaeſectio *revulſoria ac derivatoria*, ideo non pigebit aliud proferre exemplum, quod ex *Actor. Medic. Hafnienſ.* Vol. II. pag. 194. allegavit *Noſter* de muliere, quae ſub menſium fluxu ex venaeſectione, inſtituta in brachio ſiniſtro, huius inflammationem, in mammis tumorem ac inflammationem, cancrum minitantem ſenſit: Sicut ancilla alia, actu fluentibus menſibus, ex venaeſectione in brachio, his oppreſſis, conſtrictionem thoracis, anhelitum difficilem, ſuffocationem demum cum delirio experta eſt: Sic alia mulier eodem plane modo melancholica facta refertur; Pluresque aliae proſtant obſervationes, quae hanc *revulſionis* pariter ac *derivationis* efficaciam abunde confirmant. Conferri poſſunt, ſi placet, quae de vi *revulſoria ac derivatoria* olim ipſi diſputavimus.

§. CLXIV.

Hinc vero, poſteaquam de evacuatione maſſae ſanguineae paulatina paucula attulit, *capite ſecundo* ad cacochymiam, ſeu peccantes humorum qualitates corrigendas ſeſe confert, & ordine agit de alterantibus non modo *generatim*, ſed & reſpectu *acidi*, vel *alcali ſeu urinoſi* vel *ſalſi ſpeciatim*, itemque de alterantibus reſpectu effectus, caloris ſcilicet ac frigoris, humiditatis ac ſiccitatis, imo & intuitu certarum partium ſolidarum, ſi quacunque demum ratione laedi illas contingat, ad quam ultimam claſſem aperientia, hypochondriaca, hepatica, antiſcorbutica,

incrassantia, attenuantia seu expectorantia, conservantia & nervina cum uterinis referuntur.

§. CLXV.

Relictis alterantibus ad evacuantia progreditur, quorum naturam postquam in genere adumbravit, ordine deinde agit de vomitoriis, catarticis seu purgantibus proprie dictis per alvum, de diuresi seu urinae provocatione, de sudoris evacuatione, de salivatione tam universali quam particulari, ad quam postremam pertinent apoplegmatisimi, errhina atque sternutatoria. Postremum locum occupant clysmata, suppositoria, pessaria &c.

§. CLXVI.

Quae omnia postquam ordine explicuit, ad secundam classem morborum, spirituum nempe vitia emendanda, progreditur: Quia in serie occurrunt confortantia seu cardiaca & analeptica; Cumque spiritus etiam motu vitioso laborare posse *Nostro* videantur, & quidem vel *defective* vel *excessive*: Hinc merito etiam, theoriae huic convenienter, de corrigentibus cogitandum fuit, quibus spiritus, nempe animales, tam torpidi, fixi & quasi insensiles, unde actionum omnium languor & affectuum comatosorum origo dependeret, excitarentur, quam etiam nimium volatiles, impetuosus & subtiles, motuque elastico plus minus perturbati, atque hinc deliria, motus convulsivos similesque alias anomalas actiones excitantes, quodammodo cicurarentur & ad tranquilliores statum reducerentur. Quibus omnibus tractatio de curationibus *sympatheticis*, *magneticis* & *transplantatoriis* subnectitur, tandemque universum *Collegium therapeuticum* curatione morborum, partes solidas adficientium, causarumque morbificarum & urgentium symptomatum generali remotio obfignatur.

§. CLXVII.

Sicuti autem, ut jam vidimus, *Ettmüllerus* principia *Tachenii*

chenii, Helmontii, Sylvii, Willisii aliorumque adoptaverat suaeque theoriae adcommo-
daverat: Ita eorum numero, qui eandem principiis *Philosophiae Cartesianae* superstruxerunt, accensere non dubitamus *Johannem Jacobum Waldschmidium*, Professore[m] Medicinae Ordinarium in Academia *Marpurgensi, & Hasso-Cassellani* Principis Archiatrum. Is enim praeter alia, quae edidit, scripta, *institutiones* quoque *rationales medicinae, recentiorum theoriae ac praxi adcommo-
datas* nobis reliquit. Equidem ante complures jam annos ediderat fundamenta medicinae ad Neotericorum mentem delineata & in compendium redacta: De quibus tamen ipsemet conqueritur, quod praeter innumera sphalmata & lapsus quosdam in doctrinalibus, quam plurima quoque incondita serie & quasi tumultuarie coacervata atque connexa fuerint: Unde ipsemet dubitat, num tyrones medici multum inde lucis haurire queant. Ast vero de *institutionibus* suis, de quibus hic nobis sermo est, longe aliud fert iudicium; Vocat illas *rationales*, quod ex principiis, rationi consentaneis sint deductae, nec non morborum remediorumque explicationes per causas rationales & intelligibiles in scenam producant. Sperat insuper, justis illas cancellis sese continere, cum nec in superfluis luxurient, nec in necessariis deficiant, de quo tamen duplici naevo hucusque con-
questi sunt, qui studio huic sese consecrare coeperunt.

§. CLXVIII.

Tantum vero bonorum datricem depraedicat *Philosophiam Cartesianam*; Hanc enim caput suum vix extulisse existimat, cum novum quasi sidus incolis regni medici fuerit exortum, ipsis aegrotantibus certio-
rem spondens salutem. Huic *Philosophiae* in acceptis referendum, quod morborum apparentias per suas causas evidentissime explicemus; Quod ipsos morbos denudatos & tenebris evolutos in apricum deducamus; Quod porro oeconomiam animalem per motum & figuram interpretemur, nihilque admittamus, quod non clare atque distincte vi principio-

rum mechanicorum percipere possimus; Ac denique, quod remediorum vires & operandi modum ad captum omnium describamus; Quae quidem omnia, si vera essent, amaris merito lacrymis deplorandum foret, quod invida fata tanta nobis beneficia tot seculorum intervallis dene-gassent; Jam vero cordatiores satis norunt, praeter phalerata verba nihil portentosis ejusmodi pollicitationibus subesse.

§. CLXIX.

Audet insuper tyronibus artis persuadere *Noster*, quod hic viam satis expeditam sint reperturi, ad culmen scientiae medicae perveniendi. Et quantum fiduciae ipsemet *Auctor* hisce talibus in rebus reponat, inde haud difficulter aestimare licebit, quod, etiamsi veterani nomen jam pro-meritus sit & annos plusquam viginti praxin medicam exercuerit, & quindecim fere Professioni artis publicae praefuerit, ipsum tamen non pudeat, istas medicinae rati-onalis *institutiones* legere ac relegere.

§. CLXX.

Ast vero dandum est aliquid adfectui; Quaelibet enim mater suum lambit foetum. Si autem, quod res postulat, fatendum sit, plures mihi consensuros esse reor, in plerisque, quae pertractantur, partibus meram *ἀλλοτριω-σιν* contineri. In parte enim *physiologica*, quae *Institutionum Waldschmidianarum* prima est, praeter trivialia illa de medi-cinae origine, ejusque objecto, fine, definitione, genere &c. nihil occurrit, quod hanc medicinae theoreticae par-tem vel ruditer saltem illustret; Doctrina enim de elemen-tis huc non pertinet, sed alieni, nempe physici, fori est. Quae de chylo ac sanguine differuntur, jejuna sunt, & sco-pum vere medicum non attingunt. Dogma de spiritibus eorumque distinctione in vitales & animales nec non de modo secretionis eorundem est supervacaneum & fermentum veterum redolet. Et quae de sensibus sive externis sive internis adferuntur, rectius philiosophis quam medicis dispu-

disputanda relinquuntur. Temperamentorum notitia ut ut medico scitu & utilis & necessaria sit, a *Waldschmidio* tamen mutila & a scopo medico valde aliena proponitur. In capite de partibus humani corporis praeter obsoletas quasdam distinctiones nihil solidi adfertur. Ex quibus proinde omnibus si quis statum humani corporis naturalem, quod tamen *Physiologi* officium est, addiscere deberet, illum Oedipo longe feliciorum & argutiorum esse oporteret. Quibus accedit, quod, omnium reliquorum ita dictorum Mechanicorum ritu ac more, corpus humanum horologio vel alii cuidam automati simile esse, vel eodem modo suas edere functiones existimet; Quod ipsum principium quam misere omnem rationalem theoreticum nexum laceret atque interturbet, suo tempore clarius patebit.

§. CLXXI.

Pathologia est altera *institutionum* pars, quam sibi pertractandam sumpsit *Waldschmidius*; Optarem saltem, feliciori id fidere ab ipso factum esse. An jure fugillet veteres, quod causas morbificas, morbos eorumque symptomata tam sollicitate a sese mutuo distinxerint, disputent alii. Id saltem difficultate carere non videtur, quod subjectum omnis morbi radicaliter partibus fluidis, denominative vero solidis tantum in esse doceat: Unde definitio morbi generalis, quod sit partium fluidarum in temperie & mixtione alteratio, suos utique manes patitur. Dum vero deinde ad morborum divisiones progreditur, antiquas recitat cantilenas de morbis *cacochymiae* seu *intemperiei calidae, frigidae, salsae, acidae, austerae, pituitosae, biliosae, viscidae, melancholicae* &c. Rectius vero *intemperiem* sine materia rejicit & morbos occultarum qualitatum ad morbos turbatae humorum mixtionis refert. An vero ex morborum malignorum explicatione per figuras salium, per aethere peregrinum &c. multum solatii sint petituri five medici five aegrotantes, jure ambigo. Quae autem de accidentalibus morborum differentiis, temporibus atque
causis

causis morborum, nec non de usu & abusu sex rerum non naturalium adferuntur, trivialia sunt & in vulgus nota. Solum caput de symptomatibus brevi ac perspicua ratione (convenienter tamen principiis semel adsumptis) seriem morborum, corpus humanum affligentium, sistit.

§. CLXXII.

In doctrina de signis tam diagnosticis quam prognosticis valde quidem prolixus est, eorum tamen maximam partem ex Hippocrate aliisque scriptoribus mutuo accepit. Missis autem signis status naturalis atque temperamentorum, illa potissimum ex pulsu, urina, actionibus laesis tam vitalibus quam animalibus, victus ratione, vitae genere, sexu, juvantibus & nocentibus nec non communiter vagantibus malis desumenda esse docet, non neglectis quoque signis plethoram, cacochymiam, turbatam sanguinis mixtionem & ventriculi cruditates tam acidam quam nidorofam indicantibus. Signorum vero prognosticorum hos constituit fontes, nempe signa coctionis vel cruditatis, qualia ex urina, excrementis alvi, sputo atque saliva hauriuntur, vel signa salutis & mortis, qualia à respiratione, decubitu, pulsu, sudoribus, morbi tolerantia, facie & oculis petuntur; Vel signa critica, qualia sunt insolitae quaedam apparentiae in partibus & actionibus tam vitalibus quam animalibus, nec non in organis excretionibus dicatis observabiles, cum symptomatum citra manifestam aliquam causam intensio-
ne. Vel signa, morborum tempora indicantia, quae vel ex indole ipsius morbi, vel à constitutione sanguinis vel ab anni tempore, vel à regionibus, vel à victu antecedente vel à viribus vel à paroxysmorum accessionibus, anticipatione vel postpositione vel à symptomatibus vel à cruditate & coctione desumuntur. Quanquam autem verbis vim crifium dierumque criticorum, imo & verum earum subiectum satis recte agnoscere videatur: In illarum tamen causa determinanda admodum ridiculas adfert speculati-

culationes: Quis enim sani sincipitis homo persuaderi sibi patietur, NATURAM, seu, quod *Noster* idem esse credit, aetherem consuetum, sanguinem humoresque permeare solitum esse morborum medicum? Eundem quoque moliri crises, humores coquendo, secernendo & excernendo? Quis credat, eundem illum cum aethere insolito & peregrino similem propemodum pugnam & bellum quasi intestinum inire, quale in butyro antimonii, ex spiritus nitri adfusione vel oleo tartari per deliquium à spiritus vitrioli instillatione contingere observamus. Sicuti autem ridiculum est bellum, quod duo illi aetheres inter sese mutuo gerunt: Ita non minus ridiculus est ejusdem exitus: *Peregrino* nempe *consuetum* expellente, omnia fluida aliam induere faciem & naturam succumbere: Contrarium horum evenire, & morbum cum salute aegrotantis terminari, *consueto* de *exotico* & *hostili* victoriam reportante. Sed apage talia, quae meliora edoctis nauseam movent.

§. CLXXIII.

Pergimus interim ad quartam *Institutionum Waldschmidianarum* partem, quam *Hygieinen* vocamus, in qua primum de sanitatis conservatione in genere agit, deinde vero diastam à prima infantia ad mediam, ab hac vero ad decrepitam usque aetatem specialius profequitur, suis quoque monitis prospiciens gravidis atque puerperis: Hinc longa serie describit alimenta tam esculenta, ex regno potissimum vegetabili atque animali deprompta, quam potulenta, non aquosa tantum & cerevisiaria, sed & vinosa, quae tamen omnia centies ab aliis dicta ac proposita fuerunt.

§. CLXXIV.

Sequitur *therapeutica*, ultima *Institutionum* pars, in qua, posteaquam pauca de methodo medendi in genere disseruit & naturam indicationis tam curatoriae quam praeservatoriae, indolem quoque indicantis & indicati exposuit, praecipuas remediorum classes ordine declarat, pri-

imum locum concedendo alterantibus, qualia sunt repellentia, intercipientia, emollientia, humoresq; restagnantes discutientia vel suppurantia &c. Posteriores vero tribuit evacuantibus, uti sunt vomitoria & purgantia, quibus tamen praemittenda esse praeparantia atque digestiva, eccoprotica & lenientia, prudenter & omnino practice monet. Excipiunt haec evacuantia per urinam sudoresq; nec non apophlegmatizantia, & masticatoria & alia, quae particularibus evacuationibus favent. Quibus postremo loco omnium praedictorum medicamentorum operandi rationes atque facultates jungit & historia praecipuarum operationum pharmaceuticarum cum adparatu instrumentorum maxime necessariorum, uti & remediorum tam compositione quam distributione totum opusculum obfignat.

§. CLXXV.

Id saltem hoc loco monendum restat, harum earundem *Institutionum Waldschmidianarum*, quas quippe Scholarum usui summe necessarias vel saltem eminenter utiles fore sibi persuasit, editionem alia forma machinatum esse incertum quendam Auctorem, cujus nominis initialia verba haec sunt: H. H. S. J. C. nempe per quaestiones & responsiones, sub tabularum forma rite distinctas, ut tyroni medico multo utique cum fructu prodesse queant. Placuit equidem adpellare *Vademecum Waldschmidianum*, ut putares, esse reipse ab ipsis *Waldschmidianis Institutionibus* aliquid diversum, id quod tamen sic sese non habere, tabellas hasce sedulo pervolventi primo statim intuitu apparebit. Neque vero negandum est, hanc erotematicam methodum adolescentes, arti primum initiandos, eximie juvare, testibus egregiis profectibus, quos in Collegiis Examinatoriis privatis facere solent Studiosi.

§. CLXXVI.

Waldschmidio subjungimus *Oligerum Jacobaeum*, *Haffniensem*, qui varios *Institutionum medicarum* naevos animadvertens,

tens, iisque ex animo mederi cupiens, in gratiam tyronum artis compendium hujusmodi *institutionum* concinnavit, in quo, resectis inutilibus vel minus necessariis Physiologorum & Anatomicorum praeceptis, ea tantum delibavit, quae vias commonstrarent, in quibus adsumpta alimenta mutationes solitas subire solent, in quibus secernuntur ac praecipitantur partes excrementitiae ab utilioribus & nutritioni inservientibus, qua denique lege humores varii, in conservationem vel individui vel speciei in cribris seu colatoriis convenientibus à sanguine percolantur; Cui etiam laudabili brevitati studuit in reliquis *institutionum* partibus, in quibus multa pariter superflua & inutilia ideo resecuit, ne nimia mole vastoque oceano territi tyrones, velut in ipso vestibulo animum desponderent humerosque oneri protenus subducerent, sicuti Auctor ipsemet in Praefatione loqui amavit. Laudo equidem concisam breviter; Valde autem metuo, ne nimis jejunum dimittat artis tyronem, ac proinde ineptum, qui ad reliquas altiores disciplinae medicae partes aditum sibi parare queat.

§. CLXXVII.

Caeterum in conscribendis hisce *Institutionibus* eum sibi scopum praefixum habuisse videtur, ut ex cathedra Academica Auditoribus suis easdem explicaret, id quod & sedulo ipsum fecisse, ipsemet Lectori suo insinuare non dubitat. An autem satis arduas atque sufficientes habuerit rationes, seculi nostri felicitatem tantopere depraediciandi, quo nempe iteratis tot experimentis physicis, exculta Anatome ignibusque Chymicorum eventilatis, errores nebulaeque antiquorum penitus sint discussae, & detracta larva, jam facie venustiore ars medica undique enitescat, id merito in medio relinquo, qui jam alias conquestus sum, quod Physica pariter atque Anatome & Chymia multa aliena in medicinam invexerint, quae, quod incrementis artis potius obfuerint quam profuerint, sole meridiano clarius est.

§. CLXXVIII.

Nolumus interea suis, quas meruit, laudibus *privare Nostrum*: Has enim ipse quoque *Bartholinus*, cui censura libelli credita fuerat, agnoscere coactus est, dum hoc de ipso ferre iudicium non dubitavit: Tantam scilicet fuisse curam hisce in *Institutionum medicarum* fundamentis solidis, ut appareat, cum felicitate in acquirenda medulla verae cognitionis certasse nitorem verborum & gratiam orationis: Quare omnes Juniores sedulo hortatur, ut ex hocce compendio tanquam optimo exemplari praecepta medica, à multis quippe supervacuis defaecata, hauriant.

§. CLXXIX.

Vereor autem, ne in parte *Physiologica*, quae tribus tantum capitibus constat, brevior fuerit, quam decebat. In *primo* namque agit de chylo & sanguine, in *secundo* de cribratione seu percolatione humorum à massa sanguinea & in *tertio* de temperamentis, ubi tamen multa adhuc desiderantur, quae tyronem artis scire oportet, priusquam ad altiora pedem promoveat. Praecepta sunt quidem brevia, singula tamen adcurate pertractata, nisi quod antiquis quibusdam commentis de spiritibus animalibus, sub nomine succi nervosi hodie venientibus, adhuc nimium patrociniatus fuisse videatur, quanquam spiritum naturalem, vitalem ac genitalem aequo jure exauctoratum esse, uti defunctum nuper hepar suas passum est exequias, recte omnino statuatur. Neque tamen etiam recentiorum lepidas fabellas penitus reticere aequum judicat: Unde, semen masculinum minutissimis animalculis refertum esse, ex mirabilibus *Leuwenboekii* visionibus fidem facere contendit. An vero doctrinam de temperamentis, quae sua alioquin utilitate non caret, eo ipso clariorem efficiat, dum loco *hypotheseos* hactenus receptae, qua secundum praedominium quatuor humorum, temperamentum in sanguineum, cholericum, phlegmaticum & melancholicum distributum est, aliam ejusdem divisionem in acidum, falsum,

falsum, acre, sulphureum & aquosum substituit, merito dubito, cum pari undique prematur difficultate, si acidum illud, acre, falsum &c. in humorum massa demonstrare deberet, ac illum humorum quaternionem, licet *hoc* prae *illo* longe facilius esse, plerique mihi sint consensuri. Haec tamen temperamenta, undecunque tandem oriantur, & ratione aetatis & sexus & temporum anni, & diversitatis regionum &c. varium metaschematismum pati posse & actu pati, recte utique agnoscit.

§. CLXXX.

Quod insuper Auctori nostro placuerit, parti *Physiologicae* immediate subjungere *diaeteticam*, id vel ideo neminem probro ipsi facile daturum existimamus, quia id saltem sine exemplo non fecit. Imo idem plane institutum nuperrime adhuc adprobavit *Fridericus Hoffmannus*, Professor Hallensis, in *Tomii prioris Medicinae suae Dogmatico-systematicae sectione secunda*. Agit hic, at nonnisi brevissimis, nervose tamen, de aëre, cibo ac potu, somno & vigiliis, excretis & retentis, motu & quiete nec non adfectibus animi: Quae omnia sex rerum non naturalium titulo ac nomine *Institutionum* scriptoribus alias venire solent.

§. CLXXXI.

Hisce interim sic expeditis, ad partem *Pathologicam* progreditur, ubi, posteaquam de morbis, eorundem differentiis atque temporibus generatim egit, causarum quoque morbificarum historiam eadem propemodum, quae in scholis hucusque recepta fuit, methodo profequitur. Neque à Scholarum praeceptis multum remota sunt, quae *Libro quarto* de doctrina semeiotica traduntur: In quibus proinde prolixius enarrandis multum commorari non est necesse.

§. CLXXXII.

In ultima vero seu *therapeutica* parte, quae methodum apta remedia inveniendi eademque certo ordine, tota

curationis periodo, administrandi docet, non paucae continentur cautelae, quae animadversionem omni modo merentur. Remedia ipsa distingvit in *evacuantia* & *alterantia*, quorum *illa* quantitatem, *haec* vero qualitatem humorum respiciunt; Ad *illa* refert phlebotomiam, emetica, catartica, diaphoretica & sudorifera, diuretica, salivantia & masticatoria, errhina & ptarmica, expectorantia atque pnevmonica, vesicantia & pyrotica aliaque plura. Ad *haec* vero, quae qualitatem fluidorum immutant, corrigunt & alterant, veluti si acida alcalicis, alcalia acidis, viscida attenuantibus & tenuia increffantibus corrigantur & alterentur, quorsum etiam aperientia, incidentia & attenuantia, adstringentia, emollientia, somnifera atque narcotica &c. referenda sunt.

§. CLXXXIII.

Nunc in eodem hoc *Institutionistarum* theatro comparet *Paulus de Sorbait*, Belga, Medicinarum D. & Practices Professor primarius nec non Sacrae Imperatricis, Eleonora Viduae, Personae Medicus. Placuit *Auctori*, primae huic medicinae parti tribuere nomen *Isagoges Institutionum medico-Anatomicarum*, quae parte *physiologica*, *pathologica*, *semeiotica*, *hygiene* ac *methodo medendi* absolvitur. Videtur esse sectator medicinae antiquae, *Hippocratico-Galenicae*, de qua forte non injuria in praefatione universali conqueritur, quod, etiamsi opulentissimis olim gazis, margaritis, auro gemmisque resplenduerit, nunc tamen empiricorum & cisionum impuris manibus devenustata, methodo ac praeceptis misere spoliata conspiciatur. De sua vero *Isagoge* bene sperare jubet Lectores, ob concisam *brevitatem*, *facilitatem*, ob subtiles *difficultatum enodationes*, *utilitatem*, & ob minime fucatam, quam cum vera philosophia habet, affinitatem & connexionem, *raritatem* largiter ipsis promittendo.

§. CLXXXIV.

Videamus vero, qua ratione hisce suis pollicitationibus
fatis-

satisfaciat. Praemissis in praefatione particulari quindecim canonibus, tanquam dispositionibus ac methodis regularibus tum ad medicinae solidam & fundatam cognitionem adquirendam, tum ad honeste salubriterq; vivendum, ad partem *Isagoges physiologicam* sese convertit, in qua traditis variis medicinae definitionibus ac divisione discussisque variis objectionibus, hic moveri solitis, ad elementorum doctrinam tradendam sese accingit, quorum quatuor agnovisse videtur, terram nempe, aquam, aërem & ignem; Ex quorum omnium complexu, miscela & permixtione temperamentum vivi adstruit, idque cum *Avicenna* describit, esse qualitatem, ex mutua quatuor qualitatum primarum actione, terminum quendam metamve sortita, resultantem. Hoc deinde distingvit in *substantificum & qualitativum*, quod posterius denuo duplex esse statuit, aliud nempe *ad pondus seu arithmeticae proportionis*, aliud vero *ad justitiam seu proportionis geometricae*; Quae omnia majori verborum pompa quam solida utilitate jam ab aliis decantata sunt. Iisdem quatuor elementis, adserit idem, respondere quoque humores, quos in alimentarios & excrementitios distingvit; Ad illos sanguinem stricte sic dictum, bilem, pituitam & melancholiam: Ad hos vero urinam, sudores, lacrymas, sanguinem puerperii, aurium excrementa &c. referendo. Cumque ex humoribus, ut vulgo fabulantur, spiritus generentur, facultatum instrumenta: Hinc, posteaquam integras *facultatum Galenicarum* colonias enumeravit, ad historiam spirituum tradendam sese confert, quos totidem esse numero, quot sunt facultates, ex praemissis quidem *Auctoris* facile consequitur, ipsam vero interea artem multis supervacuis entibus praeter necessitatem onerat. Taceo, nondum demonstratum esse, an etiam ejusmodi spiritus dentur? Unde consequens est; Non entis nullas quoque reales fore adfectiones. Simul quoque corrui, quicquid de *calido innato & humido primigenio* disse-ritur. Reliqua, quae de partibus humani corporis tam externis quam internis commentatur *Auctor*, non tam ad *Physiologiam* quam *Anatomiā* spectant.

§. CLXXXV.

In parte *Pathologica*, explicata morbi natura in genere, exhibentur ejusdem differentiae, quae vel nituntur diversitate partium H. C. unde exurgit differentia morborum intemperiei & organicorum, vel desumitur a ratione partium, quas infestat morbus, unde oritur divisio in idiopathicos seu essentiales, & consensuales seu sympathicos; Vel petitur ab adjunctis qualitatibus, unde variae aliae exsurgunt differentiae morborum acutissimorum, manifestorum, occultorum, consequentium, connexorum, legitimorum, exquisitorum &c. Vel denique ab anni temporibus, unde aestivi, autumnales, hyemales & vernaes suam denominationem trahunt.

§. CLXXXVI.

In *causis morborum* explicandis exquisite Logicorum praecepta observat, & praeter efficientem, causas etiam per se & per accidens, principales, totales, partiales, remotas & proximas &c. prolixè quidem, sed citra necessitatem practicam recenset. Differit deinde de sex rebus non naturalibus, quatenus omnes tam sanitatis quam etiam variorum morborum causae existunt. Progreditur hinc ad plethoram atque cacochymiam, ordineque ostendit, qua ratione spiritus sive quantitate sive qualitate peccantes, sanguis item, bilis, pituita, melancholia, serum, vapores, fuligines, flatus, sabulum, calculus & vermes morborum causae subinde evadere possint? Possint, inquam, non aequè vero soleant; Quia illarum plures sunt, quae rarissime efficaciam suam in excitandis morbis exerere consueverunt, uti sunt morbi spirituum, defectus sanguinis, vaporum, quos quasi per sublimationem ex humoribus generari & vera microcosmi meteora esse, sat liberaliter fingit *Auctor*. De symptomatibus vero tanto brevius loquitur, eaque vel in symptomata actionis laesae, vel excretorum & retentorum vel qualitatuum mutatarum distingvit.

§. CLXXXVII.

§. CLXXXVII.

Partem *femeioticam* exorsus, agit primum de signis in genere, deinde vero specialius disquirit de signis, differentiis, judiciis & contentis urinarum, additis cautelis, medico & urologo observandis. Hinc progreditur ad sphygmologiam seu doctrinam pulsuum eorundemque aetiologiam breviter percurrit. Obsignat tandem universam hanc tractationem doctrina de crisi- bus, cujus non modo ideam generalem ex *Galeno* declarat, sed & signa bonae ac salutaris *criseos*, signa itidem, quibus cognoscenda, quasve per vias futura sit, una cum dierum criticorum descriptione, exponit.

§. CLXXXVIII.

Hinc *parte quarta* convertit sese ad *Hygieinen*, quae de conservanda valetudine sollicita est. His disputatis, breviter de alimentorum natura in genere, fusius vero de eorundem qualitate, sumendi tempore, ordine atque praeparatione differit, & qualis cuivis aetati & cuivis anni tempori congruat, disquirit, tandemque de vegetabilibus & animalibus eorundemque partibus, quatenus vel salubria vel minus salubria sunt, suum iudicium candide interponit. Neque, quid de variis potulentorum generibus, aqua, vino, cerevisia variisque condimentis sentiat, omisit, addita brevi discussione controversiarum ad *hygieinen* pertinentium.

§. CLXXXIX.

Ultimo tractatu brevem, universalem, &, ut *Auctor* loqui amat, adcuratam medendi methodum sistit, quae decem capitibus cum controversiis & centum quaestionibus huc pertinentibus absolvitur. Hic autem, praelibatis pro more paucis de nomine, significatione, divisione ac fine medendi, inquirit in vera ejusdem principia, quorum duo *Auctor*, *Galeni* vestigiis insistens, esse statuit. *Primum est: Ea, quae secundum naturam sunt, similibus conservanda. Alterum est: Ea vero, quae contra naturam sunt, contrariis tollenda.*

Hinc non sine bile invehitur in Chymicos atque Hermeticos, quos quippe intolerabili ausu ac fastu contrarium adferere stomachatur. Tanto vero minus parcat *Paracelsus*, qui per characteres & verba morbos curari posse, adferuit. Nec multum tribuit sigillis, amuletis & periaptis, orationibus itidem, fascinationibus & ligaturis, quae quippe omnia partim suspecta, partim incerta, & magis, astrologis & pseudochymicis tantum digna existimat, additque, morbos, sive ex causis naturalibus ortos sive maleficio illatos, non maleficio vel arte magica, sed remedio vel naturali vel divino curandos esse. Explicato sic principio methodi medendi, inquiritur in naturam indicationis, indicantis & indicati cum eorundem differentiis atque divisionibus, nec non de indicantium signis & veris indicantibus, curatorio nempe, praeservatorio & vitali. Quibus sub finem hujus tractatus quaedam de falsitate empiricorum & methodicorum in inveniendis praesidiis, experientiae & analogismi una cum brevi instructione, hac medendi methodo recte utendi, adjiciuntur.

§. CXC.

Johannes Sterpinus hic non videbatur omittendus; Praeterquam enim, quod Acta Philosophica Regiae Societatis in Anglia Anno 1669. ab *Henrico Oldenburgio* Anglice conscripta, latinum in sermonem transtulerit: Universam quoque medicinam tribus partibus, quibus *trifolii medici* nomen imposuit, comprehendere adlaboravit. Quod ejus institutum, diffusam artem in qualecunque compendium contrahendi, licet omni quidem ex parte improbandum non videatur: Jure tamen vereor, ut sic tyronum desideriiis ex asse satisfecerit.

§. CXCI.

Accensetur quidem etiam scriptoribus *Institutionum medicarum* *Bernhardinus Christianus à Juvellina*, *Cyrnaeus*; Sed cum libellum hunc, qui *Institutionum* titulo superbit, & cui deinde regulae, consultationes & observationes una cum centuriis quin-

quinque curationum morborum & alia quaedam accesserunt, nullibi, quantacunq; etiam industria adhibita, conquirere potuerim; Hinc & in eo recensendo tanto breviori mihi esse licebit. Jacturam interim fore mediocrem, spero.

§. CXCII.

De *Stephano Blancardo*, Phil. & Medic. D. nec non Practico Amstelodamensi copiosius dicendum est. Is enim cum *Waldschmidio*, cujus *Institutiones* paulo superius recensuimus, paria fecit, & inter eos, qui medicinam fundamentis *Philosophiae Cartesianae* superstruxerunt, nomen suum professus est. Edidit is superiori seculo fundamenta artis medicae sub specioso *Academiae Cartesianae* titulo, quo secundum principia nobilissimi *Cartesii*, quae ille naturae aemula esse existimat, universam doctrinam medicam tam *physiologicam* quam *pathologicam* imo ipsam quoque *therapeuticam* explicare conatus est. Metuo autem, ne vano ambitionis vento inflatus *Auctor*, plus sibi tribuerit, aliisque polliceri ausus fuerit, quam actu praestiterit. Ambitiosum namque est, quod praefatione jactat, se, cum *Cartesius* omnia perficere non potuerit, vestigia ejus legisse, & ingens illud veritatis aedificium, à magno illo Philosopho erigi affectum, provida ratione facem ubique praeferente, effecisse & ad colophonem feliciter perduxisse. Ambitiosius est, quod paulo post de seipso jactitet, se omnes praecedentium seculorum scriptores longo post se intervallo relinquere; Cum nemo illorum *pathologicam*, potissimum *aeriologiam* & medendi methodum ad illum perfectionis apicem perduxerit, ac ipse quidem solus: Unde rationis usu privatim eum esse oportere concludit, qui secundum principia tam clara tamque evidentia ad intimam hominis cognitionem penetrare non possit.

§. CXCIII.

Sunt autem, ut summatim omnia, quae dicto hoc opere praestitit *Blancardus*, comprehendam, quatuor rerum

momenta, quorum *primum* statum humani corporis sanum, *secundum* vero modum sistit, quo integritas ejus conservari illaque quocunque modo labefactata restitui debeat? *Tertium* in origine morborum secundum principia *Cartesiana* indaganda, & *ultimum* in modo explorando versatur, quo medicamenta in varios corporis nostri humores operentur eorundemq; corruptam crasin alterent, corrigant atq; emendent. De evacuantibus vero altum hic est silentium.

§. CXCIV.

Ut vero, an tanto hiatu digna sint, quae ingenti arrogancia protulit *Blancardus*, distinctius pateat, de singulis seorsim dispiciamus adcuratius. In parte igitur *Physiologica* demonstrare adlaborat, sanitatem humani corporis consistere, partim in partium solidarum integritate, partim vero etiam in celeri circuitu sanguinis reliquorumque humorum; Qui si contraria nimia tarditate peccet, obstructions & consequenter morbos causetur. In *altera* parte declarat, qua ratione convenienti diaeta & regimine humores in debita sua fluiditate & sic universum corpus in sua integritate salvum conservari debeat? In *tertia* vero, quam alias *Pathologiam* dicimus, demonstrare contendit, omnes morbos vel à laesione partium solidarum, vel ab inspissatione sanguinis aliorumque humorum, indeque orto tardo eorundem circuitu dependere; Et in *postrema* de medicamentis eorundemque operandi ratione, principiis adsumptis convenienter, differitur.

§. CXCV.

In quibus omnibus, ut meam nunc epicrisin adjiciam, sequentia merito desidero: I.) Quod omnes in corpore humano succedentes actus pure mechanice tanquam in automate peragi existimet. II.) Quod à celeri humorum circuitu sanitatem corporis & ab opposita tarditate ejusdem morbos derivet. III.) Quod chymaericis speculationibus theoreticis, praxi certe inapplicabilibus, omnia ita temeret atque coinquinet, ut lascivientis rationis fictiones, somnia atque ludibria ubique clare in conspectum prodeant.

deant. Sic, ut unum saltem vel alterum harum rerum exemplum subministrem, explicaturus modum concoctionis seu fermentationis alimentorum in ventriculo, conversionisque in chylum mediante menstruo gastrico, supponit, materiam mundi subtilissimam, quam alias aetherem subtilem vocant Philosophi, & de quo fabulantur *Cartesiani*, quod nullibi includi, nullibi excludi sese patiat, irruere undiquaque confertim examinis culicum instar in particulas acidas tam alimentorum quam salivae, cultellorum scindentium instar efformatas, quae subtili ista primi elementi materia in particulas ciborum crassiores adactae, illas aliquamdiu agitent, penetrent, discendant atque diffindant, donec cum ramosis, i. e. biliosis unitae in chylum convertantur: Qui cum crudior & gryseo adhuc colore instructus ventriculo elabatur, novam deinde fermentationem in duodeno & reliquis intestinis suscipiat, confluentibus eo versus non bile solum flava & succo pancreatico, sed & reliquis glandulis intestinalibus succum suum eo evomentibus. Cum autem bilis (ex hypothesi) naturae sit alcalinae & oleosae, succus vero pancreaticus acidae indolis: Hinc novam ibi excitari fermentationem, tamdiu continuantem, donec acumina acidi poros alcali eodem fere modo, sicuti gladioli suas vaginulas, oppleverint & quasi obturaverint, sicque ad tranquillitatem & mutuam quietem reduxerint: Unde subtili aëreo-aetherea materia partes alimentorum, mutua fermentatione hoc modo junctas, non amplius tam expedite, ut antea commovere valente, globuli coelestes interea sua pressione dominatum nacti, intimius illas unirent atque conjungerent: Ex quo deinde chylus longe majorem, quam in ventriculo habebat, perfectionem & exaltationem acquirere concludit &c. Pluribus forte speciminibus inutilium talium speculationum, quarum non parvus numerus singulis ferme in capitibus occurrit, non erit opus, cum ex hoc unico *Noster*, tanquam ex ungvibus leo, cognosci satis possit.

§. CXCVI.

Blancardo subjungimus *Cornelium Bontekoe*, in *Academia* nostra *Viadrina* quondam *medicinae* *Professorem* *publicum* & *Friderici Wilhelmi M.* *Archiatrum*, qui anno 1688. *Amstelodami* in *lucem* *publicam* emisit *fundamenta medicinae*, five de effectibus *alcali* & *acidi* per modum *fermentationis* & *effervescentiae* *commentationem*, seu rectius loquendo, *commentum*, quanquam non ab *Auctore* ipso, sed à quopiam ejus *amicorum* primum *belgico* *idiomate* *emissa*, deinde vero *latinitate* *donata* fuerint haec *fundamenta*.

§. CXCVII.

Series tractationis ubique *confusa* est, non raro quoq; *ὑστερον πρωτερον* committitur, uno ut me verbo expediam, scopis *dissolutis* non *abfimile* totum videtur *opusculum*, ut *suspicio* haud *vana* orta in me fuerit, *theses* fuisse, *confusaneo* *ordine* *discipulis* in *Collegio* *privato* *dictatas*, quae deinde ab *Auctore* ipso non *revisae*, *praematuri* *partus* *instar* *lucem* *publicam* *adspexerint*. Postquam enim primis duobus capitibus de *alcali* & *acido* & quinque *Chymicorum* *principiis*, *meliori* *duorum* *istorum* *salium* *explicationi* *servientibus*, egerat, subjungit quinque sequentibus capitibus *methodum*, *nova* *medicamenta* *praeparandi* *una* *cum* *enarratione* *praecipuorum* *simplicium*, *ex* *minerali*, *vegetabili* & *animali* *regno* *petendorum*: Tum vero subnectit demum capite octavo *fundamenta* *quaedam*, *ad* *novum* *aedificium* *in* *medicina* & *chirurgia* *extruendum*. Quod ipsius *institutum* ut *felicibus* *auguriis* *succedat*, *constituit* *lapides* *fundamentales* *recte* *disponere* & *fundum* *omnem* *aequare*, cui deinde *omne* *id*, quod *ad* *fabricam* *promissam* *spectet*, *firmiter* & *sine* *lapsus* *metu* *innitatur*. Id vero ut *reipsa* *praestet*, *propositiones* *quasdam* *physicas* *praemisit*, *quas* *infallibiles* *vocat*, ac *proinde* *fundum* *ignorantiae* *paludosum* *circa* *corporum* & *motuum* *notitiam* *desiccare* *laborat*. Huic deinde *fundo* *bene* *desiccato* *alcali* & *acidi* *palos*, ut ipse putat, *firmissimos* *infigit*,

infigit, ac postea cum aqua, terra, spiritu, oleo, aëre & igne ita firmiter vincire studet, ne ullibi vacillet ac titubet opus; Sic vero contextum plana hac effervescentiae ac fermentationis tractatione cooperit: Quibus omnibus debite elaboratis, videtur sibi fundamentum jecisse, quod immobile (si DIIS placeat) consistat, & super quod ingens illud artis medicae atque chirurgicae palatium extrui queat.

§. CXCVIII.

Jam, si quis ea curiositate teneretur, ut scire cuperet, quomodo haec duo principia, alcali & acidum, orta que inde fermentatio vel effervescentia omnibus phaenomenis, in *Pathologia* praecipue, solvendis sufficiat, anxius sine dubio haereret *Auctor*, qua ratione seriae tali curiositati satisfaceret? Si credat, rem physicis quibusdam propositionibus, iisque admodum generalibus, de corporibus ac motibus expediri posse, sine dubio fallitur. Morborum vero dum quatuor sistit differentias, nempe morbos succorum, systematis partium solidarum, impedimentorumque; in animae atque corporis operationibus, pluribus se implicat difficultatibus, quam quibus explicandis expeditam inveniat viam. Nam in exponendis morbis succorum primo statim in limine impingit, dum paucos morbos ex succorum abundantia oriri statuit: Illud vero eorundem vitium admodum familiare, si non unicum, esse credit, quod succi nimis inspissati sint, aut aquosi, acres, celeres nimis vel tardi, non currenter, vel aliorsum, quam oporteat, euntes: Id quod peritae observationi practico-clinicae e diametro contrarium esse, omnes experti Practici uno ore fatebuntur. Similiter falsum est, in succis duplicem tantum acredinem esse, acidam aliam, aliam vero alcalinam; Sicuti & illud aperte falsum est, partes solidas ex alcali & aqua conflare, in quibus proinde vix acidi quicquam reperiatur: Unde sponte consequitur, falsum quoque esse: Omnes morbos, a succis acris originem suam ducentes, acidum tanquam primariam causam agnoscere. Suis item dubiis

dubiis atque difficultatibus haud caret, quando ulterius statuit, officinam principem, in qua ejusmodi morbosum acidum producat, esse imprimis ventriculum cum intestinis crassis, quanquam secundum speculatoris nostri mentem in omni quoque angulo, ubi succi in quiete versantur, fermentatio contingere indeque acidum procreari possit; Adeo ut in omnibus quoque inflammationibus, abscessibus & ulcerationibus acidum reperiatur. Acredinis inopiam rarius contingere; Si vero contingat, ob succorum viscositatem eandem fieri, docet. Nec negandum esse monet, in sanguine aliisque succis non raro sal volatile fere deficere, atque hoc in casu acidum & viscidum dominium sibi arrogare: Digniore notatu esse tardum humorum cursum, sive totalem eorundem a motu cessationem, quod utrumque tamen ab alia causa provenire non possit, quam a sola viscositate, ex coagulatione vel ab acido, vel a frigore, vel ab impedito cursu in minimis canaliculis obturatis, nec non, quod istarum rerum consequens est, ob caloris, virium, motuumque defectum, vel quando earum rerum pressiones, quibus succi protruduntur, cessant.

§. CXCIX.

Dum vero ulterius morborum, solidas partes adficiendum, seriem recenset, suorum principiorum ne verbo quidem meminit, id quod tamen fieri oportebat, si novo chirurgiae aedificio exstruendo inservire debebant. Sed hisce omnibus prolixius enarrandis non immoror, dummodo hoc unicum adjicere adhuc licuerit, phlogosin *Autori* nostro nihil aliud videri, nisi inflammationem quandam, corpus nostrum subito invadentem ac subito denuo cessantem & rubedinem in facie atque genis conjunctam habere, atque adeo adfectum esse partium solidarum &c. Quod licet forte tyrones artis sibilo dignum judicarent, decoro tamen repugnat, quia speculator noster suo tempore haud paucis admirationi & in celebri academia artis suae Professor fuit.

§. CC.

Converto me potius ad methodum, morbis sanandis proficuam, quam melius institui non posse adferit, quam succorum correctione, sive, quod idem plane est, alteratione, quae tamen, quam parum divisioni morborum antea propositae respondeat, in aprico est. Absolvit autem universam curationem internam per remedia, quae ad classem temperantium, sudoriferorum, diureticorum, catarcticorum, emeticorum & anodynorum reducit: Ad externam vero revocat anodyna, dissolventia, mundificantia, consolidantia & caustica; In qua universa medicamentorum classe nihil occurrit, quod humorum correctioni directe quadret, praeter temperantia & anodyna: Reliqua enim vel evacuandi vel partes solidas adficiendi scopo destinata sunt.

§. CCI.

Quod igitur temperantia haec eorundemq; efficaciam speciatim attinet, ea omnibus morbis, ex acido ortis, tanquam necessaria destinare non dubitat, cum secundum *Auctoris nostri* ratiocinium inter *alkali* & *acidum* sit actio & motus, ut unum alterius actionem, vim & energiam brevi temporis spatio destruat. Ex quo fundamento colligit, quatuor esse temperantium species, nempe I.) alcalia tam fixa quam volatilia. II.) oleosa & pingvia, quae tanquam hamis & ramis instructa, acidas particulas ita circumdant, ut aequè parum nocere amplius queant, quam ensis vaginae inclusus. III.) Aquosa, in quibus *acidum* & *alkali* facile liquefcant, sicque minus pungens efficiatur. IV.) Omnia illa, in quibus *alkali* praedominium obtineat, magnetis instar sese habere, quo acidum evertatur. Cum vero facile suboluerit *Nostro*, eventum practicum praefigurationibus hisce theoreticis non aequè feliciter respondere: Hinc agnoscere nullus dubitavit, in hunc usque diem neminem adhuc ostendisse, vera dari temperantia, i. e. talia remedia, quae acida ita reipsa immutarent, ut acida esse desinerent, seu, quae omnem suam acredinem acidam eo modo

modo deponerent, quo acies cultri habetatur & obtusior redditur. Cum aquosa re ipsa nihil aliud praestent, quam ut acidum & alcali intra sese abscondant, quae tamen illaesa ἐπι το πολυ extrahi denuo possint. De operatione vero alcalinorum in acida & acidorum in alcalina unicuique perspectum sit, contingere hic tantum quandam partium confusionem & mixtionem, & à nemine clare demonstrari posse, num alcali, num vero acidum suam mutaverit figuram, quorum alterum ab altero, saltem ἐπι το πλειστον, illaesum & immutatum separari queat. Denique, suis quoque incommodis haud carere pinguedines & olea, ultro fatetur.

§. CCII.

Inter anodyna solum fere opium extollit, quod quippe remediorum omnium Hercules quasi sit & domitor, quo nullum aliud suum munus celerius, promptius ac tutius exequatur, & quod merito mireris, rariores esse casus, in quibus non conveniat opium; Meras enim calumnias esse & crassa nonnullorum praejudicia, qui narcosin quandam & vim stupefacientem ejusdem ubique criminarentur; Tanto vero minus veritati congruere, vires aegrotantium extingvi & mortem accelerari opiatorum usu. Optandum foret, haec omnia, uti narrantur, ita examussim sese habere! Ast prohdolor! Experientia clinica omnibus cerebrinis speculationibus multis parasangis praeferenda, contrarium mille casibus comprobavit & adhuc indies comprobat, quod opiata in plerisque ab *Auctore* citatis & allegatis casibus, nempe in doloribus arthriticis, ischiadicis, convulsionibus, tussi, asthmate, alvinis promiscue fluxibus, tenesmo, nephritide, in omnibus haemorrhagiis, in cunctis propemodum febribus, variolis, morbillis, morbis malignis, peste, vertigine, phrenitide, mania, epilepsia, phthisi, tabe, nimia fame, palpitatione ac tremore cordis &c. mirum quantum potius noceant quam prosint. Quibus tamen heteroclitis encomiis non obstantibus, invitus agnoscere cogitur, quod in valde imbecillibus, hydrope
confir-

confirmato, adpetitus defectu, morbis soporosis, alvo dura &c. vel nihil opii vel exigua saltem ejusdem dosis vel cum multo sale volatili permixtum exhibere oporteat.

§. CCIII.

Quod reliquum est, multum quidem etiam diaphoreticis atque sudorificis, diureticis atque catarticis tribuit; Ita tamen, ut, qua ratione acido supposito cicurando vel ejiendo inservire debeant, nullibi adpareat, atque adeo necessarius nexus inter theoriam & praxin, inter principia & conclusiones ubique desideretur. Et cum denique circa usum horum remediorum moneat, medicum decere, veteres criticos non attendere, sed maturandum esse, ut sudor &c. acceleretur, unicuique in sensus incidat necesse est, *Auctorem* nostrum, cerebrinis suis speculationibus occoecatum, magnum sane in praxi Herculem non fuisse. Unde concludo, haec fundamenta ad tyronem artis potius confundendum, quam ullo modo juvandum conducere. Et sicuti lubrica sunt, ut vidimus, fundamenta, quibus palatium suum superinaedificare adlaboravit: ita idem praeceptis mox corruisse, non est mirandum. Pluribus eadem haec principia refutarunt *Johannes Bobnius & Fridericus Hoffmannus*, ille in Dissertatione Epistolica ad D. *Joëlem Langelottum*, Ducis Holsatiae Archiatrum, de *alkali & acidi insufficientia pro principiorum seu elementorum corporum naturalium munere gerendo: Hic vero in exercitatione Acroamatica de acidi & visceri pro stabiliendis omnium morborum causis & alkali fluidi pro iisdem debellandis insufficientia*, ad Dn. *Theodorum Christophorum Krug de Nidda*, Potentissimi Prussorum Regis *Friderici* Archiatrum & Consiliarium Intimum ante paucos annos, mortalium coetu, qui longiori vita dignus erat, ereptum.

§. CCIV.

Convertimus jam nos ad *Michaëlis Bernhardi Valentini*, Med. D. ejusdemque ut & Philosophiae Naturalis in Academia

demia Haffo-Gieffena P.P.Ord. Medicinam Nov-antiquam, seu cursum artis medicae, è fontibus *Hippocraticis* juxta principia naturæ mechanica mentemque modernorum erutum & perpetuis commentariis illustratum, in quo per formam *Institutionum* non tantum generalia medicinae fundamenta, sed & conspectus materiae medicae selectioris, methodus praescribendi formulas, monita practica cum potioribus & ex parte rarioribus artis chymicae, chirurgicae & obstetriciae enchiridibus traduntur. *Auctor* in universo hoc opere in eo est, ut pleraque modernorum novissima dogmata jam in monumentis *Hippocraticis* extare, *Lectori* persuadeat: Unde ipsius Philosophiae corpuscularis, imo, ut plus dicam, ipsius quoque Mechanismi, quem hodie in ore habent omnes, clarissima vestigia sese ibi reperisse adserere non veretur. Quod ut tanto probabilius reddat, verba *Hippocratis*, quae libro de his, quae uterum non gerunt pag. 251. editionis Foëssianae: Conare, ut te naturalem medicum exhibeas, ad hominis habitum & vires respiciendo; ita interpretanda esse vult, ut per habitum & vires nihil aliud intellexisse videatur senex, quam naturae mechanismum, in machina hominis hydraulico-pneumatica conspicuum, qui non tantum in fluidorum undulatione, sed & solidarum partium tono atque elatere, quem alii motum tonicum vocare solent, observetur. Cogitavit itaque *Auctor* Celeberrimus, operae pretium sese facturum, si recepta artis & naturae principia ex fontibus *Hippocraticis* derivaret, & non tantum ex libro *Aphorismorum*, sed & reliquis ejus scriptis, methodo jam à *Jacobo Sponio* haud infeliciter tentata, dogmata Philiatricis scitu maxime necessaria erueret, & in artis formam redigeret, simul tamen etiam *Institutiones* non ratione tantum & experientia sed & auctoritate gravissimi hujus Senis ita communiret, ut, quemadmodum *Jcti Institutiones Justinianae* habent; Ita quoque medici *Institutionibus Hippocratis* auctoritate munitis instructi essent, quae omnium instar essent, & quibus orthodoxiae gloriam aequo cum aliis jure adfectare possent, ne amplius
sine

sine regula ubique recepta oberrare cogentur. Laudo equidem *Auctoris* institutum, atque certissime persuasus sum, non sine ingenti labore multa egregia dogmata ex fontibus *Hippocratis* eruta esse: An vero multi quoque textus non obtorto collo ad multa Neotericorum dogmata confirmanda trahantur, peritioribus dijudicandum relinquo; Nobis enim nunc omnia (loco potissimum alieno) adcurate excutiendi otium non suppetit. Illud solummodo brevibus hic indicamus, quod universum hoc artis medicae curriculum, systematice tractatum, octo partibus comprehendatur, duabus nempe principalibus, *hygiene* atq; *therapeutica*, & sex, minus principalibus, quae aut illas antecedunt, ut *physiologia*, *pathologia* & *semeiotica*, aut consequuntur, ut *diaetetica*, *pharmaceutica* & *chirurgica*.

§. CCV.

Idem cum *Valentino* propositum in animo habuit *Jochimus Targirus*, medicinarum Doctor, in medicina sua compendiarum, in qua, propositis veterum sententiis, novam, & ut loqui amat *Auctor*, verissimam artis medicinae formam ac rationem breviter ac dilucide explicare conatus est. Cum enim prudenter observasset, aetatem nostram in ipsam perturbationem disciplinae veteris improvide incidisse, nova nondum constituta aut saltem nequaquam confirmata; Jam vero tantum absit, ut veterum inventa omnino rejicienda sint, ut potius sine fideli horum observatione remediorum atque morborum nullam fuisse artem judicet; Interea tamen etiam, quae recentiorum industria notavit, alto promiscue supercilio contemni pariter non debeant: Hinc temperie quadam suo in compendio uti, i. e. nova cum antiquis conjungere aequum duxit *Auctor*; Unde merito invehitur in perversos modernorum mores, qui, relictis constitutis tritisq; praeceptis veterum, debiles tantum errantesque suas proponant sententias. Quid enim hodie familiarius, quam cernere volumina, nihil fere continentia, praeter jejunas repetitasq;

compilationes eorum, quae tractant hodie Phyci! Nimiram istam philosophandi subtilitatem uti in cetera vivendi ratione, ita in ipsa potissimum medicina non tam utilem quam noxiam potius esse, in hunc usque diem satis experimur. Proinde nulla in re occupatus esse voluit *Noster*, nisi quae ad artem salutarem pertineret. Quare multa dejicienda, plurima convertenda, sed non pauca etiam, quae crudeliter ab aliis vexata & è medicina ejecta erant, quasi postliminio reducenda ac restituenda fuisse, è re sua fore credidit.

§. CCVI.

Univerſo in opere ita sese gessit, ut, quaecunque in descriptione artis ab antiquis peccata essent, detegeret & clarius explicata daret: Corporis vero oeconomiam continua serie in functionibus naturalibus pertractavit, & partem medicinae *physiologicam* ita purgatam expeditamque proposuit, antiqua ut ejus partitio, nova vero & magis dilucida rerum explicatio videretur. *Pathologiae* quoque, quae de morbis agit, non mediocrem attulit opem, morbi que naturam atque definitionem apud antiquos obscuram & ambiguam illustravit, rejecta putida eorum distributione, & substitutis iis morborum generibus, quae non à commentitia quadam temperie, sed ab iis rebus hauriuntur, ex quibus humanum corpus revera constitutum est. Causarum quoque & symptomatum naturam ita sibi exposuisse videtur, ut, quae à veteribus iis de rebus scripta sunt, nihil aliud, quam confusionem quandam & obscuritatem intellectus, docere videantur. Cumque signorum ratio & differentiae eorundem ab falsa Philosophia ita depravata essent, ut *Theseo* opus fuerit, qui tanto in labyrintho filum duceret: Noluit quoque suis hic deesse partibus. Atque hoc est schema totius operis, quod in Praefatione ad Lectorem ipsemet adumbrare voluit.

§. CCVII.

Videamus nunc, an & quatenus hisce suis promissis
satisfe-

fatisfecerit! In *parte prima*, quae *Physiologiam* sistit, ordine agitur de medicina ejusque divisione, de elementis eorundemque mixtione, de temperamentis non totius tantum, sed & aetatum atque partium, de calido nativo, de triplici partis similis substantia & humoribus secundariis, de mutatione calidi nativi, de animae facultatibus in genere, speciatim vero de facultate animali, vitali ac naturali, de generatione animaeque functionibus. Ex quibus omnibus nunc pauca, *Auctori* nostro singularia, excerpemus. Vulgaris primum medicinae partitio in quinque partes eidem displicet, cum semeiotica, quam vulgo tertiam artis partem faciunt, physiologiae & pathologiae adhaereat, atque adeo quatuor partes sufficere queant; Quod jam alios advertisse, hinc inde monuimus. Quaestionem, an medicina sit ars, an scientia, merito tanquam inutilem nullo numero habet, cum intuitu *hygieines* & *therapevtices*, quae praecepta & remedia procurandae valetudinis causa suggerunt, sit ars, respectu vero *Physiologiae* atque *Pathologiae*, quae in cognoscendis corporis humani functionibus atque affectibus occupatae sunt, scientia potius dici mereatur. Ejusmodi scientiam in arte faciendam medico ut summe necessariam ideo merito commendat; Quia medicinae exercitium non à solo instinctu motuque mechanico pendet, ut vulgaris fert persuasio, insuperque corpus humanum non aliorum corporum instar iners sit atque otiosum, sed agens in se, variis viribus & facultatibus instructum habeat, quod intentionem medici variis modis illudere ac frustrari possit, imo ipsa quoque instrumenta, quibus medicus utitur, non ita sua in potestate habeat, sicuti alii artificii lapidis vel ligni instar obsequuntur: Hinc doctrina atque scientia, ad abditas rerum naturas & causas peruestigandum, opus est, vera nempe & genuina scientia rerum humanarum, cum ipsa veritate consentiente, nullis figmentis falsae Philosophiae contaminata.

Praeterea recte confutat errorem veterum, quando solidis tantum partium nomen vindicarunt, sanguinem vero & reliquos humores horum ex numero removerunt, cum non solidis tantum agendi potestas sit concessa, sed ipsa quoque contenta seu fluida, non ratione imaginariae facultatis, illique adjunctae functionis inter partes recipi aut ab iis excludi debeant: Sed quod sociata inter se sint, quod à se mutuo dependeant, ac denique in commune commodum conspirent, atque eo ipso & nomen partis satis superque mereantur, & subjecta sanitatis morborumque statuatur. Neque sine ratione partitionem partium in *similares ac dissimilares* repudiavit; Quia, quas antiqui similes partes adpellarunt, manifesta dissimilitudine notantur, qualis compositio in cute, arteria, vena, nervo, musculo &c. admodum conspicua est. De elementis id quoque rectissime agnovit, non solummodo, quod doctrina veterum de illis admodum sit obscura & ex Philosophia temere in medicinam detrusa; Verum etiam, quod figmenta illa atque insomnia scholasticorum ad medicinam nihil prorsus faciant, ac proinde sat commode praeteriri possint. Disputationem de temperamentis & natam & educatam esse credit in Philosophia veterum, quae, cum lumini esse ingenio humano, nostram detegere ignorantiam & errores emendare deberet, densis potius tenebris omnia obduxit, justum scientiarum ordinem pervertit, verasque rerum naturas occultavit, mutavit, extinxit; Eam quoque doctrinam non à propria & intrinseca rerum forma, sed à sensibili qualitate denominatam esse, ut aliud calidum, aliud frigidum & aliud siccum dicatur: Jam vero sensum & tactum nostrum temperamentorum istorum valde iniquum constitui judicem. Calidum nativum, spiritum & humidum primigenium vana & in medicina inepta vocat nomina. Contentiones de natura fervidiores, quam res postulabat, fuisse, merito dolet; Quanquam ob interpretationem antiquorum obscuram, nullam hujusce vocis in medicina

dicina usum esse, ideo putandum non sit. Supponit itaque in omni animalium & plantarum generatione intestinum aliquod in ipsa materia, seu corpore plantae & animalis, generationis & motionis activum principium, quod primum sit illius naturae, quam medici considerant, quaeque non male dicitur opifex & conservatrix corporis causa. Neque tamen naturam istam à vita nostra diversam esse contendit, ut mirari non debeamus, illam perfecto operi in omni vita insidere. Quo in significato vocis naturae nullum committi posse peccatum confidit, dummodo, quod alii credunt, ne propter finem agere fingatur.

§. CCIX.

Spirituum doctrinam à veteribus traditam reformaturus *noster*, supponit, praeter spiritus innatos, qui stabiles in unaquaque parte & fixi credebantur, tres influentes & vagos ab illis dictos esse; Naturalem, qui ex jecore per venas, vitalem, qui ex corde per arterias, & animalem, qui in cerebri ventriculis genitus per nervos in omne corpus diffunderetur: Quorum omnium productio ita fieri quondam putabatur, ut naturalis materia esset vitali, & vitalis iterum animali. De spiritu vero insito hoc singulare addebant antiqui, vinculum illum esse, quo anima cum corpore conjungeretur, perque illum & calidum nativum singularumque partium facultates conservarentur. Verum enim vero, quanquam ex singulis humani corporis partibus peculiarem elici posse spiritum concedat; Ejusmodi tamen spiritum ante separationem fixum, otiosum atque potentia tantum calidum esse & actuosum demum actuque calidum fermentatione evadere existimat, illumque revera unicum tantum esse ac simplicem, nempe animale, cujus materia partim ex elemento tertio, particulis scil. tenuibus, volatilibus ac potissimum oleagineis, ad quas tamen etiam particulae acres saliaque volatilia accedant, constituatur, partim vero ex elemento primo ab igne in corde accenso, partim denique ex elemento

Q

mento

mento secundo componatur, forma vero in motu illo, quem primum & secundum elementum ex se, tertium vero propter ista habet, ac inde in illa corpusculorum tertii elementi separatione, propter quam libere & seorsim moveri & quasi volare inter sese possunt, consistat. Si quis tamen ternario spirituum numero delectaretur, illi libertatem indulget, *naturalem* quaerendi in chylo, atque pro effectu primae coctionis habendi, alterum vitalem quidem adpellandi, qui tamen naturalis rectius diceretur, quod in perficiendis suis functionibus primum fit instrumentum, quique ex subitanea sanguinis incallescencia, quae singulis pulsibus fieret in corde, oriretur; Ac tertium denique, qui animalis audiret, quique in cerebro non tam gigneretur, quam ante genitus à reliquo consortio separaretur.

§. CCX.

Ad facultates animae explicandas devolutus, accusat iterum veteres, quod facultates istas, quae necessario ex humani corporis natura proficiscerentur, ad animam tanquam causam principem retulerint; Cum nihil sit inanius dicere, quam corpus nostrum, ut ex elementis, temperamentis, calore & spiritu constitutum est, iners atque otiosum esse, neque aptius quam cadaver ad vitae munia atque functiones efficiendum: Cum potius sit avtomaton non tantum naturalium & vitalium per sanguinem, humores & organa naturalia, sed etiam animalium functionum per cerebrum, spiritus, nervos & organa animalia. Actu & per se vivere corpus nostrum, quia & ad agendum aptissimum est instrumentum & seipsum viribus assidue restaurat; Quae restauratio cum internam alimenti subactionem conjunctam habeat: Hinc spiritum produceret, ex quo motus & sensus atque adeo vita animalis oriretur. Quo circa actiones non cessare in corpore, nec hominem mori, infert, quod anima discederet, propterea illam abire, quia corpus aptum porro instrumentum non esset,

esset, organaque corrupta, ad functiones istas efficiendas non amplius accommodata. Unde consequitur, naturale, vitale & animale non esse unius animae in homine partes, sed sociata tantum & connexa dici posse, non vero in unius animae substantiam conspirare.

§. CCXI.

Relictis facultatibus ad functionum explicationem sese accinxit *Auctor*, easque in tria genera partitus est; Primam illarum ita solius corporis propriam esse putat, ut merito naturae instinctu perficiatur; Unde etiam *naturalem* optimo jure dici posse persuasus est, cum ad hasce functiones expediendum sola partium dispositio motusque corporeus concurrant. *Animales* vocat, in quas nullum imperium constitutio corporis aut illius motus obtinet, sed quae ab anima sola proficiscuntur. Postremum genus adpellat *compositas*, quae ex animae cum corpore societate proficiscuntur, quarum causae ortusque tam animae, quod juncta cum corpore, quam corpori, quod mente praeditum est, assignari possunt. Uti vero functiones naturales non solum in alimentis digerendis ac distribuendis sunt occupatae, sed & sangvificatio, circulatio sanguinis, nutritio, generatio opusque universum tam secretorium quam excretorium ad hanc classem pertinent: Ita ad functiones animales retulit sensus atque motus. Quae universa tractatio uti latissime sese diffundit: Ita non minus singulares multas *Auctoris* opiniones comprehendit, quas tamen prolixitatis nimiae vitandae gratia studio hic omitimus.

§. CCXII.

Pergimus potius ad *Pathologiam*, quam non minus, ut *Physiologiam* ab erroribus & figmentis veterum repurgavit *Targirius*. Et quemadmodum in primo statim *Theoriae Pathologicae* limine de natura morbi in genere agi consuevit: Ita non obscure ab *Ipsa* accusantur veteres, quod veram morbi indolem ejusdemque genuinum fundamentum

profunde ignoraverint. Equidem, quod ordinem in *Pathologica doctrina* ab Iphis servatum attinet, quo primum de morbis, deinde de causis, porro de symptomatis tandemque de signis agunt, nihil magnopere desiderari posse videtur: At vero, dum morbum dicunt affectum contra naturam, qui naturae vim inferat ejusque actiones laedat, sicque ille solus tantum partes solidas cum similes tum organicas occupare credatur, atque adeo in contentis, sanguine nempe reliquisque humoribus causae, in ipsis vero functionibus, si quae vitia observentur, symptomata adpellentur, quia in partis substantia non inhaerescunt: Recte utique antiquos inculpasse videtur *Noster*, quod naturam morbi ejusque fundamentum ignoraverint: Quia morborum, causarum atque symptomatum non diversa maximeque contraria est natura, sicuti veteres voluerunt, sed saepe eadem & solo respectu diversa, imo causae & symptomata in se morbi esse solent, qui quandoque nullo modo, saepissime omnino à se invicem dependent. Accedit, ipsas quoque fluidas corporis humani partes ab insultibus morbofis tutas non esse, cum sublata humorum aequabili mixtura necessario conturbatus sequi debeat motus, & vitia sanguinis, quae in motu, sive nimium aucto sive imminuto consistunt, neminem latere possint.

§. CCXIII.

Eodem, ni fallor, jure condemnavit sententiam *Galenicorum*, qui, uti solis partibus solidis facultates inditas esse voluerunt, easque pro sanitatis domicilio solas habuerunt; Ita quoque illas solas in *Pathologia* morborum subjecta fecerunt: Quo ipso manifeste iterum prodiderunt, quod indolem sanguinis reliquorumque fluidorum non intellexerint, quae quippe praeter vitium in quantitate, pravam subinde diathesin induere, sicque morbum excitare possunt ac solent, etiamsi nulla pars solida simul laesa sit, quanquam interea id quoque diffitendum non sit, neque crebro neque diu fluidarum partium morbos per se consistere, quin statim functiones nonnullas, quae solidis partibus

partibus vulgo attribuuntur, laedere, impedire imo ipsam deinde solidarum substantiam afficere atque impedire soleant. Atque adeo triplex morbi subjectum constituit *Targirius*, & primum quidem, si contentum, deinde, si pars solida, tandemque si utrumque, quod frequentissimum est, laedatur.

§. CCXIV.

Examined morbi natura, in genere veterum sententiam de variis morborum differentiis discutiendam sibi sumpsit. Cumque illi in *physiologicis* partes humani corporis in similes ac dissimiles seu organicas distinxissent; Opportunum ipsis visum est, ipsos quoque morbos in *similiares* atque *organicos* partiri, similes vocando, qui partis *similaris* constitutionem perverterent, *organicos* vero, qui instrumenti symmetriam infringerent: Verum quos illi similes adpellant, *Noster* longe ad commodatius morbos materiae, sicut *organicos* rectius *structurae morbos* dici posse existimat, per morbum materiae indigitando omnem pravam vitiosamque constitutionem, quae ad materiam cujuscunque partis spectat, pro eo, quod opponitur structurae, quae cum diversis quoque modis vitari possit imo soleat: Hinc diversi quoque structurae morbi exoriuntur, quos in catalogo morborum organicos recensere solent Auctores, quique ad morbos *solutae unitatis* sat commode reduci valent: Cum enim morbi solutae unitatis, uti sunt fracturae, vulnera, ulcera, caries &c. structuram partis solidae semper adficient, & plerumque quoddam humorum vitium secum trahant: Non modo superfluum foret, morbis solutae unitatis novam constituere classem, sed & vel ad alterutrum praedictorum singulatim, vel ad utrumque simul referri posse, manifestum est.

§. CCXV.

Idem de morbis intemperiei, quos pro qualitatuum primarum numero earundemque varia conjunctione ad numerum octonarium reducunt antiqui & quatuor simplices

plices totidemque compositas agnoscunt, sentiendum esse existimat; Cum enim nulla sit intemperies, sive simplex sive composita, nulla qualitas sive prima sive secunda, quae non, quod affectiones corporis sint, vel ad materiae vel ad structurae dispositionem reduci valeant: Iterum supervacuum foret, tot morborum intemperiei differentias ex lacunis veterum repetere. Cui observationi rectissime addit, nullam intemperiem plane nudam, omnique materia & subjecto orbatam in rerum natura reperiri; Quod necesse est, ut accidentia, quasque qualitates vocant, alicui semper substantiae inhaereant. Conatus equidem fuit *Auctor*, hasce veterum inanes speculationes quomodo-cunque excusare: Provide tamen simul monuit, cavendum esse, ne *Galenum* defendendo, minorem ipsius veritatis rationem habeamus: Quia, experientia teste, nimiae Philosophorum argutiae in curandis adfectibus non raro plus nocere, quam prodesse solent.

§. CCXVI.
Cum insuper ad adfectuum *similarium* classem ab Antiquis referantur morbi *totius substantiae*, eoque nomine insitum spiritum, calorem illius, facultates ipsamque formam complecti soleant, ut morbi totius substantiae ab illis vocentur, qui illa, primum & per se evertunt: Hinc *Auctor* noster, qui id omne, quodcunque in morbo totius substantiae contingit, non a vulgaribus qualitatibus, sed ab intestina minimarum particularum forma, propria nempe magnitudine, figura & motu, dependere putat, operationes illas, quae toti substantiae adscribi vulgo solent, nihil aliud praeter certa fermentationis genera esse existimat, atque adeo sanguini tantum atque spiritui, non vero solidis infidere partibus concludit: Qui tamen conceptus, si verum fateri fas fuerit, aequè obscurus est ac ille veterum, quem de morbis totius substantiae sibi formarunt.

§. CCXVII.

Divisioni morborum in *idiopathicos* & *sympathicos* illud addere

addere consultum duxit, *idiopathiam*, quam vocant morbum *per essentiam*, non male in *protopathiam* & *deuteropathiam* distingui posse. *Protopathiam* dicit proficisci, non ab alio morbo in corpore latente, sed quocunque primum loco genita fuerit, ibi suam quoque causam, agnoscere, neque ullum alium illum antecessisse: *Deuteropathiam* vero concedit oriri quidem in illa, quam obsidet, parte, sed ab alio morbo, ante corpus exercente, procreari. Caeterum pleraque, quae de *idiopathia* vulgo differuntur, errorem *Galenicorum*, quo morbi solis partibus solidis insidere creduntur, arguere, non dissimulat.

§. CCXVIII.

Denique circa morbos, quos vulgo *malignos* adpellant, illud animadvertendum esse jubet, non ideo vocandos esse *malignos*, quod alia, quam natura eorum postulare videbatur, adjuncta sint symptomata, cum revera iis causis, a quibus producitur malignitas, respondeat, quaeque non minus, quam alias causae manifestae ad naturam morbi spectent, & vix possibile sit, morbum malignum ulla alia quam naturae suae convenientia comitari symptomata: Sed quod ignota, neque obvia sint symptomata, differantque ab iis, a quibus nomen morbis impositum est.

§. CCXIX.

Post morborum differentias de earundem causis agere consueverunt *Pathologi*, cui consuetudini *Noster* quoque litat, idque inprimis laude dignum iudicat, à medicis causas tantum efficientes considerari, omittique tot alia causarum genera, quae magis cum subtilitate quam cum fructu tractantur a *Logicis*. Neq; id reprehendendum existimat, humanum corpus subjectam causarum materiam constitui. Cum enim causa & morbus saepe eadem res sint, manifestum esse putat, non aliam causarum, quam morborum subjectam materiam poni posse. Contra vero id minus laudabile in vulgari medicina esse existimat, quod

in solis humoribus morborum causas radicare contendat: Cum enim una eademque res saepe causae & morbi nomen mereatur, erunt quoque causae in partibus solidis, quibus fluidae continentur, necessario quaerendae. Reliqua, quae de distributione causarum, inprimis efficientis in *procreantem & conservantem*, in externam & internam, de singulari cuiusque morbi causa nec non de morborum organicorum causis &c. adferuntur, ideo, quia nimiam prolixitatem parerent, omittimus.

§. CCXX.

Transitum potius facimus ad postremum, quod in *doctrina pathologica* tractandum susceperat *Auctor*, nempe enarrationem symptomatum, quae eo ordine instituitur, ut primum symptomata facultatis naturalis exponantur, uti sunt atrophia, quae depravatum corporis nutricatum denotat, deinde vitia adpetitus, qualia sunt anorexia seu appetitus dejectus, dysforexia seu appetitus imminutus, bulimos, appetentia canina, pica & malacia, cruditas ventriculi pituitosa, acida & nidorosa, singultus, nausea & vomitus, cholera, ructus, passio coeliaca & lenteria, diarrhoea, dysenteria, tenesmus, alvi adstrictio, ileus &c. Pertinent quoque ad eandem facultatem ischuria, dysuria, diabetes, gonorrhoea, menstruum suppressio, vel nimius fluxus, & menstrua seu fluor albus. Sequuntur deinde symptomata facultatis vitalis, quae sunt deliquium animi & respirationis vitia. Vitalibus vitia sensuum tam externorum quam internorum, his symptomata facultatis moventis, & his deniq; symptomata, in quibus vel omnes vel pleraeq; actiones laeduntur, succedunt, & agmen claudunt symptomata qualitatum corporis mutatarum, eaque, quae excretionis & retentionis symptomata medicis adpellari consueverunt. Quanquam autem negandum non sit, multa in hisce omnibus contineri singularia *Auctoris*, ea tamen hac vice ideo excerpti non licet, quia, ne lectori nimia prolixitate taedium creemus, jure metuendum nobis est.

§. CCXXI.

Restat itaque *Liber tertius medicinae compendiariae*, quae partem ejus *semeioticam* complectitur, in qua primum de signo ejusque discrimine, deinde de signis corporis salubris & declinantis in morbum, porro de urinis & pulsibus agitur, tandemque de crifibus brevis tractatio adnectitur: Quam tamen ultimam doctrinam an intime inspexerit *Noster*, non una est dubitandi ratio. Quanquam enim crifin in febribus saepe fieri, negare non audeat; Non aequè tamen putat necesse esse, omnem subitanèam febrium solutionem per crifin fieri: Quia febris res esset praeternaturalis, & vel justo vehementior, ut in acutis & statu paroxysmorum, vel justo imbecillior, quemadmodum saepe in principio paroxysmorum, sanguinis fermentatio est; Quod utrumque tamen falsum. Interea frequentiores esse posse crifes concedit duabus de causis, primum cum naturae opus non impeditur à medicamentis, quae materiam crifi subtrahere possunt; Deinde, si aeger vitam ducit in calida regione, robustamque naturam, quae impetu quodam noxios humores expellere solet, adeptus sit. Caeterum nihil aliud per crifin intelligit, quam extraordinariam humorum fermentationem, non dissentientem ab ea, in qua febris ipsa consistat, nisi quod conjunctam haberet hoc tempore notabilem humorum segregationem & expulsionem, quam cita morbi conversio consequeretur. Quod licet rectè utique agnoscat, immerito tamen negat, istam humorum se- & excretionem numero dierum septenario alligatam adstrictamque esse: Namque de diebus criticis eorundemque efficacia id notari jubet, non esse apud nos eandem dierum in acutis rationem, ac fuit in Graecia, quam antiquissimi medicinae cultores incoluerunt: Idem tamen apud nos locum habere non posse existimat, cum propter regionum diversitatem, tum propter vitae genus medendique rationem, ab antiquorum moribus & consuetudine omnino dissidentem.

tem. Verum horum omnium contrarium solertior in acutis observatio facile unumquemque docebit.

§. CCXXII.

Haec interim in synopsi sunt, quae in *medicina sua compendiarie* discussit *Targirius*. Et sicuti id ipsius laudibus detrahi neque potest neque debet, quod veterem medicinam solide excusserit ejusque naevos clare ob oculos posuerit: Ita negari quoque non debet, quod subinde recentiorum speculationibus plus justo tribuerit, cujus rei ex doctrina symptomatum permulta allegari exempla facile possent, nisi brevitatis ratio esset habenda.

§. CCXXIII.

Ordo interim ad alium *Institutionum medicarum* Reformatorem, *Paulum Ammannum*, Professore *Lipsiensem* nos sensim deducit, qui quippe pariter consilium de *Institutionum medicarum* emendatione necessario suscipienda perscripsit. Recte enim Praefatione ad Studiosos Medicinae sic ratio cinatur: Quod, prout artis alicujus principia sese habent: Ita quoque ars ipsa sese habeat, h. e. si firma fuerint eadem, nunquam vacillabit; Contra, si minus firma, variis mutationibus atque vicissitudinibus erit ars etiam obnoxia. Hinc tot controversiae in theoria, tot varietates in praxi medica occurrunt, patientibus non raro nocivae.

§. CCXXIV.

Quod vero speciatim Institutiones medicinae attinet, illas duplici vitio laborare existimat *Ammannus*, *incertitudine* nempe & *prolixitate*: Incertitudinem ex eo patere dicit, quod antiquissimae opiniones, quae tamen parum vel nihil veritatis in se continerent, fundamenti loco tyronibus haecenus fuerint propositae: Eodemque modo rem certam esse de prolixitate, cum nonnullorum, v. g. *Sennerti* institutiones in vasta plane volumina excreverint, quanquam praeter omnem non modo necessitatem, sed & solidam

solidam, quae redundare inde posset, utilitatem. *Galenismi*, ut sic loquar, infensissimus fuit hostis; Quare etiam ad hunc eradicandum & damnosae auctoritatum veneraciones abolendum, hoc consilium de *institutionum* emendatione suscepisse videtur.

§. CCXXV.

Servata autem librorum & capitum serie, quae ab *Institutionum* scriptoribus observari vulgo solet, primo statim in *libro* pleraque, de quibus alii, verbi causa de originibus, natura, definitione ac divisione artis nec ne de variis medicorum sectis prolixè differere consueverunt, praetermittit & tanquam inutilia rejicit; Cum haec omnia non discenda, sed legenda tantum sint. De facultatibus animae, earundemque origine atque differentia enunciat, medicinae cultorem ea omnia operose & philosophice scrutari imò ne scire quidem debere: Cum facultates per se non laedantur, sed per accidens & laeso tantum organo. Displicet insuper *Nostro* distinctio antiquorum in spiritum *insitum* & *insluentem*, cujus farinae ipsi quoque videtur distinctio inter *calorem insitum* & *insluentem*: Interea tamen non modo existentiam spirituum agnoscit, sed etiam differentiam quandam inter vitales & animales admittit, quae tamen, num *specificae* sit, id quod communiter volunt, ignorare se ingenue confitetur. Doctrinam *Galenicorum* de temperamentis seu complexionibus partim cognitu difficilem, partim falsam, certe in medendo minus utilem vel necessariam esse credit; Cum dogma illud *Galen* re ipsa nihil aliud sit, quam tantummodo tradux, quo figmenta de qualitatibus & mixtionibus elementorum propagentur; Quod idem *Helmontium* quoque sensisse novimus, cujus ille dogma adoptare non dubitat. Mitto alia complura census *Physiologici*, quae censurae suae submittere non veretur *Ammannus*.

§. CCXXVI

Neque paucioribus laborare naevis *pathologiam*, inde concludit *Noster*, quod *nosologia* seu doctrina de morbis pleraque

raque sua fundamenta hauriat ex *physiologia*, cujus cum vix millesimam partem exacte perspectam habeamus; Colli- gi hinc facile licet, tanto minus pathologiam cognitam esse posse: Quale namque est fundamentum, tale quoq; aedificium superstructum sit oportet; Nempe si *illud* est lubricum atque incertum, hoc quoque alterius indolis vix esse poterit. Itaque concludit: *Pathologiam veram nostra in arte adhuc desiderari.* Plerasque morborum definitiones non juxta propriam atque intrinsecam morbi ideam vel naturam formatas esse; Quod inde, vult, patere *Noster*, quia alias morbi, praecipue interni, certius feliciorique cum successu curari possent; In qua tamen artis parte, nempe therapevtica summum adhuc defectum observari quoti- die liceret.

§. CCXXVII.

Ideo ipsam quoque *semeioticen* incertitudinis postula- re non dubitat; Cum impossibile sit, *signum* esse posse cer- tum, cum de *signato* adhuc dum disputetur: Proinde ite- rum concludit: Totam *semeioticam* meris conjecturis & fal- sis hypothesibus niti, quas si examinaveris, aequae incerta erit doctrina de signis ac ipsa pathologia. Plura hic excer- pere ideo consultum non est, quia inferius in tractatione ipsa haec talia monendi occasio recurret.

§. CCXXVIII.

Inter *mechanismi* adsertores & propugnatores strenuos suum nomen tuetur *Fridericus Hoffmannus*, Comes Palatinus Caesareus, Regisque Borussiae Consiliarius intimus nec non in *Academia Fridericiana* P. P. celeberrimus, qui jam an- no 1695. fundamenta medicinae aphoristica forma ex prin- cipiis, ut ipse loqui amat, naturae mechanicis in usum Philiatorum proposita edidit, de quibus ipsemet *Praefatione ad Lectorem* praedicare non dubitat, quod sola mechanica, Anatomiae & Chymiae nupta, ab humili ad altum haec- tenus duxerit rerum medicarum scientiam; Quod, qui hac notitia rite instructus sit, rerum abstrusarum causas eruere, **dubia**

dubias medicorum controversias ac sententias dissolvere, remediaque valentia in deploratis plane morbis quam felicissime invenire possit; Quod ipsa haec fundamenta (quo potius, quam plebejo *Institutionum* nomine uti maluit) ab omni prolixitate controversiarum & quaestiuncularum maleferiatarum mole, nauseosa sententiarum compilatione sint aliena, nihilque omissum sit, quod in medicina necessarium judicari queat.

§. CCXXIX.

Conscripta interim sunt more plerisque *Institutionum* conditoribus hucusq; solemni, etiamsi inscriptionem talem prae se non ferant. Orditur enim Illustris *Auctor* a parte *Physiologica*, in qua primum agit de natura medicinae, deinde de principiis rerum physico-mechanicis, porro de sanitate, vita, temperie & natura, de partibus solidis ac fluidis humanae machinae, principaliter de sanguine, lymphâ, chylo, lacte, bile, semine & spiritibus animalibus, de motu machinae illius vitali ac sensu, de usu viscerum, secretionem animali ac nutritione, nec non de conceptione, generatione & partibus illi inservientibus.

§. CCXXX.

Hinc ad *Pathologiam* progressus tractat de morbis eorumque causis, de febribus & morbis malignis, de morbis, vel ex vitio ac motu lymphae ac feri enatis, vel ex circulatione sanguinis inaequali & impedita, vel ex vitio ac motu spirituum animalium, vel denique ex vitiis primarum viarum ortis.

§. CCXXXI.

In *Semeiotica* exhibet signa morborum a sanguine, urina, pulsu & saliva petenda, subjunctis signis & differentiis morborum essentialibus; Quibus praemissis, agit demum de cognoscendis morbis ex vitio lymphae & spirituum animalium ortis & totam hanc tractationem concludit historia prognosæ atque criseæ medicae.

§. CCXXXII.

Semeioticam excipit *Hygieine*, quae primum generales deinde speciales regulas diaeteticas proponit, nec non de vario sex rerum non naturalium usu & abusu differit.

§. CCXXXIII.

Colophonem addit *therapeutice*, quae, expositis regulis medendi generalibus & medicamentorum elementis, illorumque operandi modo, speciatim tractationem evacuantium, sudoriferorum, diureticorum, salivantium &c. eorundemque usum & abusum prosequitur; Ultimo loco alterantibus, quaeque motum humorum vel accelerant vel nimium sistunt, servato, cum variis cautelis practicis eo spectantibus.

§. CCXXXIV.

Verum, quae reliquis mechanicorum principiorum adfertoribus pollicem premunt, eadem quoque difficultates *Nostrum* urgere videntur. Sunt enim adsertiones, quae principiorum instar reliquae tractationi substernuntur, sic satis paradoxae multisque vexatis dubiis expositae, uti sunt: Naturam totam, & sic ipsam quoque medicinam, *debere esse* (absoluta quasi necessitate) mechanicam: Unde DEUM ipsum maximum & Ter Optimum Mechanicum vocat, qui statice & mechanice res omnes produxerit: Hinc ipsam quoque medicinam definit, per artem utendi principiis physico-mechanicis. Corpus nostrum esse *instar machinae* seu *automatis*, quod ex variis organis ratione figurae & magnitudinis certo ordine ac situ dispositis & constructis gaudeat, quae tamen moveri & animari debeant a partibus fluidis corporis nostri; Vitam perfici causis mere mechanicis, nec mentem quicquam facere ad corporis ipsius vitam, nec vitam spectare ad mentem, sed ad corpus. Primum motus principium in machina corporis nostri, omnium Philosophorum consensu, esse animam; Perinde autem esse, si quis animam istam nominare velit naturam, sive, spiritum potentiis mechanicis instructum
five

five materiam aetheream subtilissimam, ordinate tamen ac specificè agentem. Naturam istam seu animam hominis facile *characterisari* specifico motu, quem deinde jugiter custodiat, unde deinde consuetudo naturae nascatur. Eandem illam Naturam mensurae, numeri, temporis ac ordinis esse observantissimam, ac proinde omnia ordinate tam in productione, quam in conservatione corporis morborumque curatione facere &c. Atque haec erat idea, secundum quam universum artis medicae systema sibi & aliis tunc temporis praefigurabat.

§. CCXXXV.

At vero successu temporis non pauca hoc in systemate emendanda esse ipse putavit. Hinc anno 1707. novam ideam fundamentalem universae medicinae, ex mechanismo sanguinis methodo facili, attamen demonstrativa, ut putat, adornatam condidit eamque D. *Andreae Gundelsbeimero*, Consiliario Aulico eoque tempore Archiatro Regiae Majestatis Borussicae, inscripsit atque dedicavit. Conqueritur in *Praefatione ad Lectorem*, & id quidem optimo jure, artem pulcerrimam sub ingenti illa opinionum varietate & dissensionum copia plurimos connexionum hiatus & principia inter se pugnantia aluisse; Se itaque, monitore & consultore *Gundelsbeimero*, hanc in se provinciam suscepisse ac tentasse, qua ratione nobilissimam artem in scientiae formam redigeret, & principium aliquod clarum, perspicuum, maxime vero unum & inconcussum statuminaret, ad quod omnes causae earumque classes facilissima connexionione restringi, & ex hoc unico fonte omnia, quae tam in sano quam aegroto hominis statu, morborumque curatione & medicamentorum virtute explicanda occurrunt, clarissime deduci possent, additque, se FORSAN PRIMUM (absit tamen invidia) hoc iter ingressum esse, ut artem in demonstrando certam, in curando vero fidam redderet. Et ne quis forte sibi temere persuaderet, tyronibus tantum hanc ideam scriptam esse, huic statim praeju-

praejudicio occurrit, & veteranis quoque & magistris artis nostrae eandem non parum profuturam haud vane pollicetur eoque nomine commendat. Ingenue tamen fatetur, fundamenta medicinae, de quibus his proximis §. egeram, & male typis exscripta & tam adcurata connexion, sicuti de hac idea, lectori persuadere conatur, concinnata non esse. Unicum autem fundamentum, quo in universa *Pathologia* nullum detur praestantius, cui tota medicina sit superstruenda, judicat esse motum vitalem, nempe circulationem sanguinis, qualis in corporibus organicis viget. Hunc sanguinis circulum egregie vitam tueri, excernendo corporis ambitu ea, quae corruptionem minari eidem queant. Ex eodem quoque fonte modum agendi remediorum profluere & fundamentum curationis omnium morborum imo egregiam quoque praeservationis methodum promanare, certissime sibi persuasum habet.

§. CCXXXVI.

Istud vero principium, quod in circulatione sanguinis reponit, physico-mechanicum esse, ex materia & motu petendum, ita demonstrare contendit: Motum nempe sanguinis circularem dependere a motu systoles atque diastoles fibrarum musculosarum & motricium, puta cordis, arteriarum aliarumque partium, nec non fluidorum temperie debitaque quantitate. Motum vero & impulsu solidorum non ens immateriale sed materiale subtilissimum proxime praestare, atque id nihil aliud esse, quam fluidum istud catholicum, aethereo-aëreo-elasticum, activissimum, quod veteres animam mundi sensitivam, animam ore haustam & spiritum, corporis nostri dominum vocarunt. Itaque ens illud immateriale seu animam rationalem ad motum hunc vitalem nihil conferre, sed sine ejusdem concursu solo corporeo motu & impulsu eundem absolvi, disertis verbis enunciat. Si autem quaeratur, quomodo, si pure corporei & mechanici sint hi motus, nihilominus tam ordinate, concinno nempe ordine, certa proportione,

cer-

certoque tempore, quae quippe circumstantiae omnes im-
 materiales & ab altiori provenire principio videantur, suc-
 cedat? Respondetur: Id artificiosae structurae, dispositi-
 oni ac proportioni partium solidarum ac fluidarum ad mo-
 tum, unice tribuendum esse; Qua per causas externas &
 mechanicas mutata, motiones istae inordinatae reddan-
 tur, diaeta tamen ac medicamentis in ordinem redigendae.

§. CCXXXVII.

Interim ex hoc jam fundamento rationem vitae, sa-
 nitatis atque morborum deducere adlaborat; Et vita qui-
 dem in animantium corporibus nihil aliud ipsi denotat,
 quam perennem fluidorum per tubulos beneficio solidor-
 um impulsum atque progressionem, qua corpus per se
 corruptibile a corruptione praeservetur, non excluso ta-
 men etiam motu intestino *spirituascientiae*; Ubi id tantum
 moneo, non motum sanguinis circularem vitae formalem
 rationem constituere, nec a corruptione corpus praeserva-
 re, sed esse tantum instrumentum vitae & vindicationem
 corporis a putredine procedere potius a jugi & continuo
 successu secretionum, sub isto sanguinis circuitu proce-
 dentium; Quibus demum una cum excretionibus
 fatiscentibus corruptio & mors ingruit. Sanitatem vero
 constituit in quodam quasi aequilibrio motus solidor-
 um ac fluidorum; Quo praesente & anima recte ra-
 tiocinetur & sensuum adsit vigor & vitalium motuum
 robor & secretiones cum necessariis excretionibus per
 emunctoria rite se habeant, & somnus, & appetitus &
 digestio & nutritio recte procedant. At vero si hoc
 modo sanitatis notio accipiatur, metuendum jure, ut
 ullus mortalium perfecte sanus dici mereatur: Quia im-
 possibile est, ubique praecavere, ne a dicto isto aequilibrio
 plus minus recedatur. Statum denique morbosum repo-
 nit in circulo sanguinis immoderato vel impedito vel in-
 aequali, idque propter laesum aequilibrium solidarum,
 pulsus atque toni, nec non fluidorum intemperiem & pro-
 portionem indecentem. Cum autem circulus iste sanguinis

& possit & soleat utique variis modis mutari, nec tamen status corporis morbosus in sensu rigoroso & exquisito statim & inevitabiliter subsequatur: Hinc ista quoque qualicunque adumbratione statum morbosum non exhauriri, cuius comprehendere facillimum est.

§. CCXXXVIII.

Ex hisce autem jam infert atque concludit: Omnes morbos ad hasce quatuor classes rectissime referri posse: Nempe vel ad intensiorem toni seu *spasmos*, vel ad *atoniam* seu ejusdem toni debilitatem vel totalem amissionem vel ad *febres* vel ad *convulsiones*. Atque hoc ordine & serie omnes jam morbos describit, ut primum de *spasms* & *atonia*, deinde de *febris* & *convulsionibus* agat, ac postremo causas morbificas immateriales & virulentas, nec non plethoram, atque cacochymiam, prout variorum morborum causae evadere possunt, exponat. Hinc progreditur ad causas morborum naturales, aëremque, alimenta, clima, diversumque vitae genus &c. tanquam causas morborum remotas considerat, quibus etiam morbos, aliorum morborum causas, uti & illos, qui ex imprudenti medicatione suborti sunt, una cum symptomatum generatione subjungit. Universa vero tractatio ob signatur descriptione medicamentorum varii generis variisque ex fontibus petitorum, cum adnexa methodo medendi & fundamentis omnisrationalis therapiae, quod in eodem illo motu seu circulo sanguinis & fluentibus inde se- & excretionibus reponit, quo quippe non modo corpus, corruptioni totum ex se obnoxium, ab eadem vindicatur vitaque incolumis conservatur, sed & causae, vitae inimicae, propulsantur & adfectus morborum averruncantur. Ad quod praestandum Natura tanquam instrumento utatur spasma, qui est motus in systemate fibroso auctus, quo humores stagnantes resolvantur, obstructa referentur & supervacua vitalique circulo contraria per congrua emunctoria expellantur.

§. CCXXXIX.

Eodem jure istam sibi laudem vindicare potest *Archi-*
baldus

baldus Pittcarnius, quondam medicinae Professor in *Academia Lugduno-Batava*, quod *methodo plane demonstrativa*, id quod ante Ipsum NEMO ausus fuerat, *Institutiones medicas* tradiderit. Ejus elementa physico-mathematica, in gratiam studiosorum medicinae delineata, duobus libris comprehenduntur, quorum *prior* theoriam, *posterior* vero praxin exhibet. Aequitas jusque fateri jubent, tanta cum *anxiositate*, ut plane demonstrationum mathematicarum vim aemularetur, hanc artis medicae partem elementarem nunquam adhuc publicam adspexisse lucem. Procedit enim per postulata, definitiones, propositiones & problemata, prorsus sicuti Geometris in more positum esse solet. Ita enim decebat virum celeberrimum, medicinam ab omni philosophorum secta liberam colere, atque prima ejusdem elementa Geometriae auxilio absque omni conjectura philosophica, absque omni tandem partium favore aut praepudicio nude simpliciterque tradere, sicuti ipsimet horum elementorum editores in limine Praefationis loqui amant.

§. CCXL.

Ordo in illis adhibitus, quoad *theoriam*, respondet ordini *Institutionum Sennertianarum*, ubi tamen breviter simul adnotatur, quid ille quidve alii *Institutionum medicarum* scriptores peccaverint. In *praxi* vero sequitur methodum a *Riverio* adprobatam; Ita tamen, ut ab omni errore plane liberum fuisse *Pittcarnium* nullibi pronunciare ausi fuerint, qui *elementa Pittcarniana* ediderunt, cum ille ipse in re medica nec fallere nec falli studuerit, & artem suam non nisi per demonstrationes & observationes perficiendam esse, voluerit, libertatem interim sentiendi & severam veri inquisitionem ubique amplexus. Protestantur interea solemnissime, ne quis *Nostrum* vel tanquam novatorem vel plane haereticum rejiciendum existimet, quia alias & *Democritus* & *Hippocrates* & *Serapion* & *Apollonius* & alii principes viri tanquam novatores essent condemnandi. Illud autem, quod in commendando hoc *Auctore* mirifice mihi placuit, id praecipue fuit, quod, cum inter medicos ipsos

non satis conveniat, dum latentes rerum causas scientia non comprehendunt, sed conjectura prosequuntur, quod, inquam, harum conjecturalium quaestionum investigationem supervacuum esse contenderit, quoniam incerta & incomprehensibilis ipsa plerumque natura sit, & nihil vel parum conjecturalem hanc disciplinam ad artem medicam facere professus, in usu & experimentis, per veras motus regulas demonstratis, eam posuerit.

§. CCXLI.

Prius vero, quam rem ipsam curatius perstringamus, ex ipso *Auctoris* praeloquio, quod est ipsa *inauguralis Oratio*, quam anno 1692. *Lugduni Batavorum* habuit, cum medicinam docendi munus ibidem adgrederetur, quaedam excerptare placet, quae jam dudum animadversione quadam digna nobis visa fuere. Observat itaque primum *Pittcarnius*, medendi peritiam studio philosophico fuisse paulo antiquiorem, cum medendi perpetuae, philosophandi autem fortuitae tantum causae fuerint. Et cum priscis temporibus Philosophi omnes unius tantum sectae fuerint, & medicina ante omnem Philosophiam nata, sequitur, nascentem medicinam nulli Philosophorum sectae alligatam fuisse. Cumque in medicina vel tradenda vel facienda non liceat id tanquam principium adsumere, de quo viri & mathematici docti & minimis praejudiciis irretiti disputant; Hinc iterum consequitur: Causarum physicarum investigationem, qualem Philosophi instituere solent, medicis neque utilem neque necessariam esse. Nec decere medicos, ulli philosophorum sectae sese adungere, cum illud potissimum sit, quod artem medicam tot seculis incultam reddidit & impedivit, quo minus ad optatum perfectionis fastigium, quo hominibus & per homines licet, eniti & vita mortalium in tuto collocari queat. Neque oportere artem illam, quae mortalibus sanitatem pollicetur, disputantium conjecturis & somniis involvi: Quia prudentis non est, illi vitam suam concedere, cujus ratio-

nes

nes plerisque falsae, paucissimis probabiles videntur; Sed oportere potius medicos Astronomorum institutum sibi imitandum proponere, si de genere humano bene mereri cupiant; Observationes nempe, quae institutae sunt & ubique instituuntur, circa morbos morborumque auxilia conferre, & nulla habita ratione opinionum, quae sensu perceptis certitudine cedunt, ex eo, quod fieri solet, quod futurum sit ac faciendum, colligere. Porro vero in medicina tractanda nihil principii loco admittendum, quod non sit aequae certum, ac ea, quae in sensus incurrunt; Quia aequum non est, ut vitae humanae, quam curiositati, minus consulatur. Pertinet huc metus vacui, qualitates occultae, vis attractiva aliaque talia, quae majores nostri a secta mutuati in medicinam transtulerunt; Quanquam diffidendum quoque non sit, recentioribus, qui a detecto sanguinis circuitu nihil non sperare & poterant & debebant, nimium sectae amorem obstaculo fuisse, quo minus debita ex invento illo felicitate potirentur, imo, qui delicta majorum aliis vitanda tam solerter monstrare poterant, ipsimet monstrata vitare non potuerunt. Esto, feliciter ipsos proscripsisse qualitates occultas, pedibus conculcasse eosdem inanes vacui metus formarumque substantialium strepitus; Annon vero aequae abominanda idola in artem introduxerunt, qui occulta fermenta porosque dicto audientes intulerunt? Quo quaeso discrimine figurae particularum ignotae differunt a qualitatibus occultis veterum? Materiae subtilissimae, quam *Cartesius* primi elementi nomine insignivit, quid distat astrorum influxus? Utrum inhonestius, vasis liquores quosdam attrahendi vim concedere, an nobis ipsis potestatem facere, fluida vasorum orificiis apta, in scenam protrahendi? Quis, sympathia & antipathia veterum rejectis, homines de pugna & amicitia duplicis aetheris, intra canales corporum occurrentis, differere paratos ferat? Quis calido innato & adventitio aetherem consuetum & peregrinum paria facere, mutatisque solum verbis eandem narrari fabulam, non animadvertat?

Ex quibus tandem omnibus colligitur, diversitatem figurarum fermentorumque a medicis sectae inservientibus, invectam, nullam in medicina sive facienda sive docenda adferre utilitatem. Ut nihil aliud superesse videatur, nisi ut medicinam, non hisce figmentis impositam, sed usu probatam excolamus, neque nos incauto sectae studio tantillum dimoveri a veritate, medicamve dignitatem vulgi arbitrio subjici patiamur, notamque incertitudinis, ex amore sectae nimio manantem, ab arte nostra amoliamur.

§. CCXLII.

Ecquis autem jam nostrum est, cui haec *Pittcarniana* non mirifice placeant? Quis non ex praemissis hisce expectabit fundamenta solida & inconcussa, cui sine ruinae metu ars nostra superstrui queat? Et quis denique certam & infallibilem morborum curationem inde sibi non pollicebitur? Ast eheu! Quam fallaces, quam deceptrices sunt spes humanae? Qui enim definitionibus & axiomatis *Pittcarnii* parem cum *Euclideanis* certitudinem inesse credit, is fallit & fallitur. Transeant utcunque *Pittcarnii* nostri postulata; Non eandem sane fortunam habebunt ejusdem definitiones. Sic, ut paucis tantum exemplis res illustretur, vita a *Pittcarnio* definitur: Quod sit circulatio sanguinis a corde pulsi per arterias & per venas reducti: Ubi meminisse eundem oportebat, aliam esse *instrumentalem*, aliam vero *formalem* vitae rationem. *Priori* modo si intelligendam esse cupiat definitionem vitae, concedo; *posteriori* vero, nego. Corpus animatum definitur, quod sit compositum ex canalibus diversi generis, liquores diversi generis vehentibus; Quae definitio ita comparata est, ut etiam machinae hydraulicae, quae tamen a nemine, quod sciam, inter corpora animata unquam relata fuit, adplicari possit: Deficit enim principium corporis animati, quod est anima, non certe compages diversorum canalium, diversos liquores ferentium. Facultas porro animalis definitur: Quod sit vis illa, quae e sanguine intra cerebrum
circu-

circulante exercetur, per secretionem liquoris cujusdam in nervos derivabilis, quem deinde describit, esse liquorem illum a cerebro in nervos derivatum. Sed quis unquam facultatem animale[m] hoc modo descriptam vel legit vel audivit? Nisi forte, qui studio sectae, a quo tamen alienissimum cupit medicum, fuerit addictus? Unanimis potius consensus est, facultatem animale[m] consistere in exercitio sensuum atque motuum? Taceo, non entis nullas praedicari posse affectiones. Quis, dari spiritus animales, idoneis argumentis unquam demonstravit aut demonstrandum adhuc in se suscipiet? Provocamus omnes, qui fabula ista universo orbi medico tot seculis hucusque illuserunt, ut unicam saltem stringentem rationem pro horum spirituum abusive sic dictorum, existentia adferant. Reliqua brevitatis gratia non attingo.

§. CCXLIII.

Quoad propositiones, constat similiter, non omnes ita comparatas esse, ut sine censura dimitti queant. Ita temperamenta dicuntur morbi nativi; Unde sequeretur, quod, cum nemo sine temperamento nascatur, neminem quoque sine morbo nativo in hunc mundum prodire, contingat, id quod experientiae & summae illi aegrotandi infrequentiae contrarium est. Temperamenta ipsa describuntur, quod non sint, nisi diversa cacochymiae genera; Ubi manifestum est, temperamentum confundi cum intemperie. Quis diceret, hominem v. g. sanguineo-plethoricum laborare aliqua cacochymiae specie? Etsi interea non negetur, hoc temperamentum nonnunquam, non tamen semper, vitium in qualitate pedisequum habere posse. Ejusdem indolis est propositio: Tria tantum generalia temperamenta dari. Si enim phlegmatici a cholericis & hi a melancholicis universo corporis habitu & actibus tum vitalibus tum animalibus & rationalibus differunt: A reliquis omnibus discrepabunt etiam sanguinei, quorum quippe habitus corporis & omnes in universum actus omnino

mnino sunt diversi. Cetera, quae sane plurima sunt, attingere, brevis proposita haud permittit.

§. CCXLIV.

Unicum restat problema, sed quod omnium medicorum attentionem merito ad se vocet, nempe hoc: *Dato quovis morbo, remedium ipsi proportionatum invenire. Sive: In omni morbo ex indicante indicatum invenire, & inventum adhibere.* Hic Rhodus, hic salta. Id sane, si methodo *Pittcarniana* praestari liceret, omni auro cedroque longissimis parasanguis praefenda foret. Sed subjungitur statim, desideratum, scilicet, medicamentum, quod statim tollat rarescentiam (orgasnum) & motum imminuat, nullo fere symptomate subsequente, NON DARI; Quod vi eorum, quae Libro II. Cap. I. §. 35. docentur, addo.

§. CCXLV.

At vero veniamus nunc ad examen eorum, quae primis XI. Capitibus Libri I. partis theoreticae elementorum medicinae *Pittcarnianorum* docentur. Primo igitur statim capite agitur de elementis, longe tamen alio modo, quam ab *Institutionum* scriptoribus hucusque fieri consuevit. Quae proinde res jam aliquoties nos commovit, libere enunciandi, doctrinam hanc in medicina fatuam, otiosam & superfluam esse. Hic sane nihil praestatur aliud, quam ut demonstretur: *Nullam dari materiam aetheream seu subtilem.* Ut hinc tanto melius coargui queat *Waldschmidius* cum suis assertis, qui sane huic materiae subtili non parum efficaciae in multis effectibus excitandis tribuisse videtur. In sanitatis notione, quam capite secundo tradere laborat, aeq; perplexos adfert conceptus, ac in ipsa definitione vitae. Nihilominus ex hisce praemissis reprehendit reliquos *Institutionum* scriptores, praecipue *Sennertum*, quod male medicinam definiverint; Quod sanitatem explicare conati sint, non explicata prius natura vitae; Quod male itidem partes corporis distinxerint in *similares & dissimilares*, quae quippe

quippe partitio plane fit inutilis, cum quaelibet pars aetionem edat perfectam, & fibra eodem modo sese contrahat, ac musculus. Pessime quoque quosdam medicinae Proceres fecisse arguit, quod partes corporis in *continentes, contentas & impetum facientes* distinxerint, quas quippe postremas inter contentas, mea autem sententia longe rectius inter non entia referre debuissent. Denique redarguit quoque vulgarem medicinae divisionem in physiologiam, pathologiam, &c. Sed iterum citra fonticam rationem; Distincta enim est cognitio corporis humani sani a notitia corporis morbofi: Unde qui distinctis in partibus distinctum corporis humani statum considerat, nullius peccati reum sese facit.

§. CCXLVI.

De temperamentis *capite tertio* acturus, duos maxime palpabiles committit errores, alterum, quod temperamentum nihil aliud esse credat, quam veram intemperiem seu morbum nascentem; Alterum vero, quod, expuncto temperamento sanguineo, tria tantum agnoscat, biliosum nempe, melancholicum & pituitosum seu phlegmaticum, cum sanguineum, secundum *Auctoris* nostris sententiam, nihil sit aliud, quam plethora seu omnium liquorum, sanguinem constituentium copia vulgari insignior: Cujus tamen sententiae falsitas inde statim perspici potest, quod non omne temperamentum sanguineum semper cum plethora sit conjunctum, nec reliqua temperamenta plethorae semper expertia sint, sicuti in variis eorundem mixturis quotidie observari licet. Recte interim negavit temperamenta partium solidarum, in quibus vulgo quidem operosi, sed tanto certius vani & praeter necessitatem negotiosi sunt *Institutionum* scriptores. *Capite quinto* multum sibi negotii faceffit *Auctor*, ut obscuris veterum terminis, calido innato & humido radicali clariorem lucem & explicationem adfundat, & quid per illas voces designare antiqui debuerint, non quid actu designaverint, in apri-

T

cum

cum producat. Atque adeo per calidum innatum designari debuisse, existimat, illam attritionem partium sanguinis, quae ab ipsius motu circulari, praesertim in arteriis, producit. Cum vero humidum radicale sit sanguinis, erit calidum innatum in humido radicali fundatum nihil aliud, quam sanguis circulans seu ipsa vita animalis. Ast mallet ego obscuros istos veterum terminos penitus e Physiologia explosos, ut ab omni ambiguitate ars simul ac semel liberaretur. Ita enim variis obscurarum vocum explicationibus & interpolationibus sese frustra fatigandi, adempta esset occasio, & *Pittcarnius* labore isto supersedere quoque potuisset, *Waldschmidium* carpendi, qui per calidum innatum intellexit reliquias sanguinis in corde rarefacti, vel recentiorum quorundam, inprimis *Willisii* sententiam perstringendi, qui calorem innatum fermentationis sanguinis a materia subtili inductae & ab actione ipsius perpetua conservatae, effectum esse voluerunt: Cum nulla talis fermentatio, sensu *Willisii* eorumque, qui fermentationem cum motu intestino confundunt, in sanguine detur.

§. CCXLVII.

Capite quinto fistitur brevis, sed elegans oeconomiae animalis delineatio, facta initio a ciborum comminutione mediantibus dentibus in ore peracta, quam sequitur eorundem per oesophagum in ventriculum detrusio, in quo ope perpetui motus a muscolosa stomachi tunica peracti & diaphragmatis beneficio partes ciborum ita conquassentur & atterantur, ut in chylum tandem convertantur, qui deinde contractione ventriculi alterna & musculorum adfitorum ope ad intestina expellatur, saliva five quocunque alio sero ex glandulis ventriculi exsudante & ad concoctionem ciborum nihil aliud conferente, quam ut mollescant & sic facilius comminui queant. Ex chylo deinde elaboratur sanguis, quem haematoseos modum tanto clarius explicaturus *Noster*, varia circa sanguinem experimenta

rimenta instituit, ut certior inde reddatur, quatenam eadem coagulando aut liquefaciendo aut in naturali fluxilitate conservando comparata sint? Quibus ita praemissis concludit, sanguificationem nihil esse aliud, quam comminutionem chyli per motum cordis & arteriarum, per quem fit, ut partes chyli purae & aequae lubricae ac partes sanguinis evadant, & in liquidum (ad sensum) homogenum intra canales faceffant. Unde sponte consequitur, ad sanguificationem nullo in corde aliisque partibus fermento opus esse. Pergit interea ad actum nutritionis, quem pro partium diversitate modo sanguine, modo sero, modo gypsea quadam materia peragi contendit. Nutritionem sequitur negotium respirationis & secretionis variorum liquorum variis in partibus atque visceribus.

§. CCXLVIII.

Atque haec, quae haecenus recensita sunt, *Physiologiam Pittcarnianam* concernunt. *Pathologia* ejusdem est tanto brevior; Siquidem unico tantum capite natura morbi in genere cum divisione eorum generali ita proponitur, ut natura morbi consistere dicatur in circulatione sanguinis insolita, hoc est, aucta vel imminuta, idque aut per totum corpus aut per aliquam saltem ejus partem. Vereor autem, ne haec morbi definitio suo definito longe strictior sit: Quia multi dantur morbi, qui cum circulatione sanguinis, sive aucta sive imminuta nihil alunt commercii. Circa morborum divisionem in organicos, similium partium & solutae unitatis, reprehendit inutiles labores *Sennerti*, *Zypei* & *Waldschmidii*, quibus posterioribus adhuc imputare non veretur, quod *Sennerti* scrinia compilarint. At vero cum hae morborum distinctiones jam dudum ante *Sennerti* aetatem fuerint in usu, exiguum sane operae pretium fecisse putandi forent praedicti *Auctores*, si nihil aliud ex *Sennerto*, quam putidas istas distinctiones mutuati essent. Majoris usus esse existimat divisionem morborum in *simplices* & *compositos*, ubi per morbum simplicem

cem id intelligendum esse putat, quod ab *Institutionum* scriptoribus symptoma adpellatur, per morbum vero compositum complexionem symptomatum indigitat: Qua quippe ratione ex *Institutionibus* magna removeretur confusio, quae a plerisque circa descriptionem morbi & symptomatis committeretur. Unde simul inutilia judicat signa morborum a signis symptomatum distincta, inutiles enumerationes morborum causarum, distinctarum a causis symptomatum, inutilem denique indicationem, quae ab urgente symptomate desumeretur, quasi nempe distincta foret a caeteris indicationibus. Laudat interim *Wedelium*, quod ille divisionem omnium morborum, i. e. eorum genera per tabulas optime exhibuerit, licet in febribus erraverit.

§. CCXLIX.

In causis morborum determinandis iterum alienus est tam a placitis veterum quam recentiorum, ut sententia ejus haec sit, omnes morborum causas longe rectius dividi posse in actiones corporum aliorum nostrum in corpus, aut actiones corporis nostri in seipsum, quas tamen omnes tum demum morbificas fieri credit, si vel augeant vel impediunt sanguinis circulationem: Quamquam in meras tandem tricas id omne resolvatur, quicquid de energia morbifica quarundam rerum externarum non naturalium vulgo dictarum differitur. De causis morborum internis, quorsum inprimis a scriptoribus *Institutionum* plethora & cacochymia refertur, sibi persuadet *Auctor*, quod sint morbi ipsi ac proinde ab illis non distincti. Ita v. g. de plethora *ad vasa*, a qua illam *ad vires* vix distingvit, enunciat, quod sit morbus ipse; Id quod tamen aliter sese habere, innumeri plethorici suis exemplis confirmare poterunt, qui plethoram suam, nisi commota vel in orgasmum alicunde concitata fuerit, sat commode ferunt. De temperamentis vero jam superius animadvertimus, quod perversum istam sibi conceptum formaverit, nihil esse illa aliud, quam diversa cacochymiae primo nascentis genera,

nera, imo potius morbos quosdam nativos, id quod tamen jam antea confutatum est.

§. CCL.

In tradenda *signorum doctrina* ideo prolixus esse noluit *Auctor*, quod ea, quae de hisce rebus communiter docentur, ab omnibus eodem fere modo descripta leguntur. Nihil ofecius tamen ut aliquid fecisse videatur, signa temperamentorum, quaeque ab urina ac pulsu petuntur, breviter exposuit. Capite interim, quod sequitur, septimo crises cum diebus criticis descripturus, Lectores ad *Sennertum*, *Zyppum*, *Waldschmidium* aliosque *Institutionum* scriptores mavult ablegare, ut ex illis sententia veterum de crisis earundemque causis intelligatur. Ipse interim suam, quam etiam veram simul declarat, opinionem paucis sic exponit: Cum coctio materiae morbificae & humoris excernendi, secundum *Auctoris* nostri mentem, nihil sit aliud, quam ejusdem commutatio in magnitudinem vel parvitatem debitam, ut possit vi circulantis sanguinis abripi per canales & excerni per vasa, alicui excretioni dicata; Hae autem excretiones sint crises ipsae; Inde consequitur, crises fieri posse per quascunque glandulas subcutaneas, intestinales, renales, salivales. At si non possit materia morbifica in eam magnitudinem aut parvitatem mutari, quae orificiis illius vasis excretorii respondeat, tum aut abscessum, aut haemorrhagiam, quae tamen utraque crisis minus proprie censenda sit, oboriri: Attamen, si quantitas materiae sit notabilis, opus quoque esse notabili tempore, ut materia morbifica ad debitam magnitudinem aut parvitatem motumque optatum deducatur. Cumque multae eaeque constantes sint causae, quae efficiunt, ut sanguis & humores ejus peccantes in regionibus *Graeciae* ac *Syriae* diversae sint fluiditatis, partibusque constent alterius cohaesionis & molis, quam sanguis *Germanorum* ac *Britannorum*: Hinc fieri non posse putat, quin diversa temporis spatia requirantur ad coctionem in illis & his partibus efficiendam,

ciendam, nec utrisque eadem tempora plerumque sufficiant. Unde concludit: Non nisi perraro & quasi per miraculum fieri posse, ut iidem apud nos dies critici sint, qui *Hippocrati* & *Galeno* fuerunt. Atque hinc ulterius infert: Quod, si crisin solum vocare debeamus eam excretionem, quae tertio vel septimo die aut tempore ex diebus ternis septenariisque composito contingat, tum in Britannia nullam unquam crisin eventuram, existimandum sit. Imo, si qui medici in *Scotia* crises sensu *Hippocratico* observasse videri voluerint, eos aut in *Gallia* aut in *Italia* institutos, ibique praeiudiciis veterum inbutos esse, certum ratumque haberi debeat. Sed de hisce omnibus, si ad verae solidaeque experientiae trutinam examinentur, admodum vereor, ne nuditatem suam statim prodant.

§. CCLI.

Duobus proxime sequentibus capitibus, *octavo* nempe ac *nono* castigantur errores *Sennerti*, *Zypei* & *Waldschmidii*, quos circa medendi methodum commisisse dicuntur, & quorum proinde peccata ita redarguit *Pittcarnius*: Male scilicet quatuor indicationes adnumerari quatuor indicantibus, causae nempe morbi *praeservatoriam*, morbo ipsi *curatoriam*, virium conservationi *vitam* & symptomati urgenti *innominatam*: Cum & causae internae morbo adeo sint conjunctae, ut, illis sublatis, hic necessario tollatur, & nulla quoque indicatio a viribus medico suppeditetur & symptoma urgens nullam quoque indicationem a morbo distinctam subministret. Unde id tandem conficit: Unum tantum indicans esse, nempe morbum, & unam tantum indicationem, nempe *curatoriam*. Q. E. D.

§. CCLII.

Similiter falsitatis *Auctor* redarguit ea, quae ab *Institutionum* scriptoribus de multiplici differentia indicatorum, scil. causam morbi tollentium, vitam conservantium, symptomata mitigantium & morbum ipsum remonentium disferuntur. Ex ipsa enim medendi methodo demonstrare
 conten-

contendit, vitam servari, tollendo morbos & symptomata; Atque adeo nullum esse indicatum vitale: Symptomata esse morbos ipsos, & symptomata urgentia esse morbos urgentes, i. e. cito interimentes, adeoque iis respondere indicatum curatorium: Causas vero morborum universales, nempe plethoram & cacochymiam esse pariter morbos; Atque sic omnem istam differentiam indicatorum esse supervacuam concludit. Quibus omnibus brevissimum subjungitur caput de secretionibus, quatenus illae per medicamenta, cuilibet illarum dicata, sunt promovendae, una cum brevissima methodo, medicamenta ista, ex *Willisio* & *Königio* petenda, in *formulas* congerendi, quarum aliquot *capite ultimo* partis theoreticae recensentur.

§. CCLIII.

Quibus ita ordine enarratis, nunc ad alteram elementorum *Pittcarnianorum* partem, nempe practicam transitum facimus, ubi *primo* statim *capite* de febribus agitur, & hac voce velocitas circulationis uniformiter, i. e. per aequalia temporis intervalla aequaliter aucta intelligitur, quae rarefactionem sanguinis sive tanquam causam sive tanquam effectum semper comitem habeat. Ex quo deinde fundamento omnia febricitantium seu legitima febricitantium phaenomena deducuntur, uti sunt pulsus frequentior, & propter motum uniformiter auctum, aequalis, calor solito major, dolor in capite, dorso ac lumbis, vigiliae insolitae, respirandi difficultas, siccitas linguae ac sitis, aversio alimentorum vel appetitus cessatio, urina parciior quidem, attamen saturatior &c. in quibus omnibus *causaliter* explicandis mira fictionum & gratuitarum suppositionum efficacia conspicitur. Quare vero febris legitima, h. e. nulli alii morbo complicata, absque sensu frigoris seu rigore invadere dicatur, nisi forte frigus externum febrim excitet, ejus rei, praeterquam quod historiae morbi repugnet, nullam aliam comprehendo rationem, quam quod cum supposita sanguinis rarefactione, **omni febrim,**

febri, ipso *Auctore* fatente, conjuncta conciliari non poterit. Interim mira ille fabulatur de aucta sanguinis mole & aucta inde spirituum animalium secretionem, unde validiores cordis contractiones exsurgant, atque singulis contractionibus longius expellatur sanguis; Atque adeo citius etiam ad quamvis arteriae sectionem sive intra sive extra cerebrum perveniat, unde citius diffuere cogentur spiritus in cor, & sic major erit sanguinis celeritas & per consequens rigoris seu frigoris absentia. Unde concludit, *nullam dari febrim algidam*, aut, si detur, eam debere etiam constare *motu sanguinis aucto*; Alioquin nullum haberet, unde cognosci posset, febris indicium.

§. CCLIV.

Quod theoriam intermittentium 'specialem (loquitur autem de intermittente regulari) attinet, in illis praeter symptomota motus aucti & rarefactionis, quae in paroxysmo intermittentium augmenti partem & statum componant, notabile est circa accessionem pondus corporis, quod videtur auctum, & inertia, deinde frigus incipiens ab extremitatibus & pulsus parvus, postea calor a cordis vicinia incipiens & postremo accedens ad artus, tum pulsus major ac denique sudor paroxysmum solvens. Ista vero inertiam & gravitatem corporis derivat vel a paucitate spirituum animalium, vel ab obstructione partis, intra quam spiritus & sanguis admitti non possunt: Paucitatem vero spirituum vel a defectu sanguinis vel ab ejusdem crassitie deducit, quorum unum aequè verosimile est ac alterum; Unde gratuitam & multis modis coactam adfertionem *Auctor* ipse prodit, quando subjungit: *Nunc enim non supponimus sanguinem in cerebro nimis rarum & ea ratione prementem, uti cum loquimur de insultu frigoris.* Unde manifestum est, *Auctorem supponere*, i. e. fingere sanguinem, modo rarum, modo densum, prout hoc vel illud phaenomenon, obtorto licet collo, explicare necessitas expostulat. Caeterum curationem febris legitimae nulliq; alii morbo cohae-

cohaerentis facillimam pollicetur, quanquam Practici artis experti difficulter id crediderint, sola nempe VSione & remediis, rarefcentiam sanguinis contemperantibus, qualia sunt saccharum saturni, nitrum purificatum, spiritus sulphuris, succus limonum, acetum destillatum, emulsiões ex quatuor seminibus frigidis majoribus, ac praecipue vesicatoria ex pulvere cantharidum parata, quae quippe partem feri maxime rarefcentis egregie vacuent. Notat interim de venaesectione, minus illam fore necessariam, si cui aliquod nosse contigerit medicamentum, quod statim tollat sanguinis rarefcentiam & motum ejus imminuat, nullo tamen fero symptomate subsequente. Donec vero illud inventum fuerit, venaesectionem utique celebrandam esse. Interim diligenter advertere jubet, nulla in feбри legitima temere exhibenda esse sudorifera, eo quod motus & rarefcentiae augmentum, non cito desitutum, efficiant.

§. CCLV.

Quoad curationem februm intermittentium, iterum commendat venaesectionem, nisi aetas senilis & effoeta impediatur; Quia credit, missionem sanguinis imminuere seu corrigere crassitiem; Id quod verum esse, praxis me ipsum saepius edocuit. Deinde ad lentorem e primis viis derivandum, quem purgantia vix post seculum educerent, vomitorium adeo mature, ut ante paroxysmi reditum operatio ejus absolvi possit, suadet, idemque, aliquando saepius exhibendum injungit, modo aeger sanguinem vel exspuere vel evomere non sit assuetus. Post exhibitum emeticum, quoties opus est, statim a paroxysmo finito, dari jubet febrifugum, sive potius attenuans & aperiens, morbo nempe a lentore producto & febrim comitante vel excitante, oppositum, quale credit esse ex amaris parandum, quodque & diuresin & diaphoresin & alias itidem secreciones promoveat, uno verbo, corticem peruvianum seu chinam chinae, in pulvere intervallo duorum paroxysmorum, ultima vero dosi sex horis, si fieri potest, ante sequentis periodi accessionem, exhibendam; Quanquam

alii non sine veritatis consensu crediderint, tantum abesse, ut cortex peruvianus se & excretionem promoveat, ut eas potius sistat & multa periculosa symptomata habeat pedissequa. Superveniente forte & quidem importunius alvi fluxu vel vomitu, quae tamen utraque evacuatio indolem criticam prae se ferre videtur, tunc jubet praedicto febrifugo admiscere laudanum; Citius enim & perfectius morbum debellatum iri credit, si laudanum febrifugo admixtum fuerit, quod nisi multis experimentis comprobatum fuerit, difficulter credent practici. Ex his interim deducit *Auctor noster*: I.) sal corticis peruviani aut ipsius spiritum, salia lixivialia aut spiritus quosvis parum prodesse adversus febres intermittentes; Quod, licet de spiritibus verum sit, ad salia tamen lixiviosa extendi nequit, quorum quippe beneficio plus millies febres intermittentes feliciter fugatae sunt. II.) Purgantia non debere propinari post exhibitum corticem, cum purgantia, si fortia sint, solummodo educant partes sanguinis aqueas, ut sic reliquiae magis crassescant; Si vero fortia non sint, nec febrim tollere possint.

§. CCLVI.

Curatio febris continuae illustratur exemplo Juvenis robusti, in quo post venae sectionem exhibitum est vomitorium, post vomitum vero clyster injectus. Datum deinde fuit Julapium mane, ex aqua carduibenedicti, calendulae & theriacali, lapidibus cancrorum & spiritu salis vel nitri dulcis nec non syrupo limonum: Hora vero somni sumpsit emulsionem ex seminibus quatuor frigidis majoribus & papavere albo in aqua pura cum syrupo papaveris albi, & sic tandem convaluit, an bonitate methodi, an vero beneficio vegetae Naturae, jam non disquirimus. Atque haec, quae de curatione febrium adlata sunt, speciminis loco sufficere possunt, ut inde dijudicare quilibet possit, quid ex *praxi Pittcarniana* polliceri nobis debeamus.

§. CCLVII.

Noſtro pariter aevo *inſtitutiones medicas* evulgavit *Hermannus Boerhaave*, in Academia Lugduno-Batava Profeſſor medicinae digniſſimus. Uti nemini meritas ſuas laudes detrudere conſuevimus: Ita fatendum utique nobis eſt, celebrem Virum hic magnam ingenii ſui vim adhibuiſſe, ut ſecundum ea, quae ſequitur, principia mechanica, novum *Inſtitutionibus medicinae* lumen accenderet. Proinde aliis perite dijudicandum relinquo, annon plerique; aliis *Inſtitutionum medicarum* ſcriptoribus, iſta mechanice negotium tractandi methodo, palmam vel praeſcripſerit vel dubiam ſaltem fecerit? Scopum, quem in ſcribendo praeſcriptum ſibi habuit, nemo facile taxabit, niſi omnia ſiniſtre vel capiendi vel interpretandi pertinax animo infideat opinio. Ita enim proſeſto rem ſeſe habere, concedent facile omnes: *Sua quemque optime intelligere, & ſua cuique praeter ceteris placere, unde & clarior doctrina & animata plerumque ſequitur oratio; Quumque ſuo quiſque ſenſu abundet, multa refutanda frequenter inveniet, unde gravem fruſtra laborem aggravat, minusque incitata diſtione utitur.* Id quod centies toto illo plurimum annorum tractu, quo formandis Philiatrorum animis incubui, mea experientia verum eſſe deprehendi. Quicquid vero horum omnium ſit, qui ad functiones corporis humani dextre explicandas purum *mechanismum* non ſufficere (id quod tamen Mechanicorum omnium *πρωτον ψευδος* eſt) ſed praeter *mechanicum* principium aliud adhuc, nempe *organicum* requiri exiſtimat, multa & id jure quidem deſiderabunt, quae tamen prolixius hac vice diſcutere, non eſt hujus loci,

§. CCLVIII.

Partitionem hucusque receptam quod attinet, nihil in ea innovavit; Retinuit namque vulgatam *Inſtitutionum* in quinque partes diſiſionem, ita quidem, ut in *Phyſiologia* partes & fabricam corporis humani, vitam & ſanitatem, quaeque ex his conſequentur, effecta explicata daret;

In *Pathologia* fisteret morbos, eorum differentias, causas & effecta: In *Semeiotica* signa, quibus tam in sano quam aegro corpore, quis, qualis sit, fuerit, futurus sit gradus, ordo, effectus vel remedia eorundemque usus, quibus & vita & sanitas conservari queant, declararet, & in *therapeutica* denique materiam medicam, medicamenta, eorum preparationem utendique variam rationem proponeret. Quae vero in *prolegomenis* de origine, progressu, fatis, nobilitate, utilitate & necessitate artis medicae, nec non de ejusdem definitione & objecto more *Institutionistarum* differuit, ea, ut citra reliquae tractationis praejudicium abesse potuissent, attamen, cum sua se brevitate commendent, tolerari utcunq; valent.

§. CCLXIX.

Ast vero de principiis demonstrandi altior erit inspectio; In quibus quippe admittendis, si quis paulo morosiores sese gerat, id vitio eidem vertendum non erit. Principia ista clara, distincta, potissimum vero certa esse oportere, generale est axioma, quod sua statim luce radiat. Similiter; Incipiendum esse a simplicissimis, cognitu facilissimis atque certissimis, & ab his deinde ad ea semper pergendum, quae proximo gradu harum conditionum praegressa attingant; Atque ita accurate ad composita, obscura, difficilia progrediendum esse, id omni pariter dubio vacat. Illa vero, quae distincta, clara atque certa esse oportet, sola in iis, quae pure corporea in homine, mechanica esse, nemo aequae facili brachio concedet. Et cum Clariss. Auctor ipsemet agnoscat, reperiri quoque in homine alia, quae per dicta ista principia intelligi nequeant, atque adeo per eadem ne quidem demonstrando explicari possint: Hinc alia quidem ratione circa haec utendum esse, provide monet: Perpetuo tamen dubium relinquitur, an illa etiam, quae ille pure corporea in homine esse existimat, mediantibus ejusmodi principiis pure mechanicis declarari ac demonstrari possint? Quibus interea nihil obstantibus, libere fateor, inter omnes recentiores

tiores scriptores neminem *Boerhaavio* adcuratius & concinniore connexionione functiones oeconomiae animalis secundum principia hygrostatico-hydraulico-mechanica explicuisse; Quam etiam ob rationem omnibus, qui nostrae sese informationi credunt, commendamus, suademus & auctores sumus, ut hasce sibi *Institutiones* familiares reddant, vel, si proprio Marte tantum onus humeris suis impar suscipere renuant, nostra vel alia manu ductione prius utantur, ut deinde *mechanismum cum organismo* recte conjungere discant.

§. CCLX.

Cum etiam nonnulli in votis habuerint, ut quis *Ecclesiae Medicinae* Patronus hac etiam forma ac methodo *Institutiones medicas* concinnaret: Illorum quoque desideriiis adfurrexit *Johannes Helfricus Juncken*, Med. Lic. & *Physicus Francofurtensis ad Moenum*, qui fundamenta medicinae modernae *ecclesiae*, praemisso tamen *Physices* compendio, ad *Cartesii* mentem potissimum conscripto, ex celeberrimis medicis neotericis per omnes ac singulas artis partes tradit, de quibus sperat, quod universa medicina per varia opinionum & sententiarum discrimina haectenus volutata, iisdem nunc firmitus inniti queat. Vereor autem, ne iisdem, quae haectenus *Philosophiae Ecclesiae* objectata sunt, incommodis prematur *medicina ecclesiae*: Non enim defuerunt, qui eandem pallio pannoso comparare ausi sunt, quod eadem, uti illa, opinionum diversicolorum & lacerae vestis instar male cohaerentium varietate & farragine laborare videatur: Quod tamen iudicium certas ob rationes hac vice meum non faciam.

§. CCLXI.

Quod *Physicam*, non *ecclesiac*, sed *Cartesianam* & citra exceptionem *sectariam* medicinae praemiserit, dubium statim non nemini parere & argumentandi ansam subministrare posset, an etiam *Philosophia sectaria medicinae ecclesiae* faciem sit accensura? Imo, annon potius iudicium, sectariis

principiis imbutum & corruptum ad medicinam fit adla-
 turus, qui ex *Physica sectaria* in *medicinam eclecticam* aliquid
 luminis sibi foeneratur? Neque quicquam est, quod *Au-*
ctorem nostrum tueri potest, quod a vulgari scholarum me-
 thodo recesserit, & physica principia medicis praemiserit,
 quam vulgare illud *Brocardicum*: *Oportere medicum ibi incipe-*
re, ubi physicus desierit; Quod, an unquam de physica tali
sectaria, quae in generalissimis tantum speculationibus oc-
 cupata est, intellectum fuerit, aut etiamnum intelligi
 possit, haud injuria dubitamus. Nos quidem variarum o-
 pinionum farraginem, de qua sua in Praefatione jure con-
 queritur *Auctor*, ejusmodi physicam parere posse, non du-
 bitamus: Minimum vero lucis tyronibus artis, ad eam
 vel commodius discendam vel felicius exercendam, ac-
 cendere, audacter negamus.

§. CCLXII.

Missis ergo, quae de physicis principiis, tanquam pro
 meliori fundamentorum medicinae complemento, prae-
 fatus est *Auctor*, ad rem ipsam propius nos convertamus.
 Postquam itaque in *prolegomenis* more solito tractavit de
 primis medicinae initiis, objecto atque fine, subjungit di-
 visionem in tres principaliores partes, nempe *physiologiam*,
 quae in fabricam & actiones humani corporis inquit, in
pathologiam, cui tanquam ministram jungit *Semeioticam*, &
 in *therapeuticam*, cui tamen *pharmacia* & *chirurgia* ancilletur,
 sicuti *Hygieinen* ad artem prope culinariam relegare non
 veretur. Interea sane rationes, quare medicina a multis
 retro seculis tam steriles multisque dubiis & incertis tra-
 ditionibus implicata manserit, non contemnendas attu-
 lit, quae huc fere redeunt: Quod crebrior medicinae mu-
 tato contigrit; Quod superiorum seculorum medici sal-
 tem occupati fuerint in *Graecorum* & *Arabum* medicorum
 versione & falsa explicatione; Quod methodus *Hippocra-*
tis, per observationes tradita, fuerit neglecta; Quod *Aristo-*
telis Philosophia pessimo consilio a *Galeno* in medicorum
 scholas

Scholas fuerit introducta, quanquam certissimum sit, Philosophiam *Cartesianam* parem cladem attulisse; Et quod *Chymia*, primum medicinae experimentalis subsidium, fuerit neglecta &c.

§. CCLXIII.

Verum enim vero, si nunc in primam *fundamentorum Junckenianorum* partem, nempe *physiologiam* oculos convertere placeat, primo statim obtutu *πρωτον* illud *Ψευδος* occurret, quod & aliorum Neotericorum oculis glaucoma induxisse, jam saepius hinc inde animadversum est. Consistit illud in eo, quo secundum *Auctoris* nostri adsertionem, corpus humanum vivum nihil sit aliud, quam statua humana vivens, quae, sicuti horologium, ex variis partibus constructum est, quarum vi operationes suas edit: Ita illa aequae per dispositionem partium singularem hominibus convenientem certos motus & actiones exerceat ac machina quaevis alia, cujus principium fuit artifex: Cui adserto contrarium esse videtur, quod sub initium primi capituli *Physiologici* idem humanum corpus horologio vel simili machinae tantummodo comparandum esse dicatur, quod sane non potest esse unum idemque, nisi quis *το esse & simile esse*, unum idemque significare, absurde contendat. Sicuti autem praeter corpus organicum, varia ratione extensum, in homine adhuc aliud, nempe cogitans, reperitur principium: Ita ulterius inde infert: Duplex in homine residere principium actionum, aliud nempe *cogitans*, aliud vero *extensum*, a quo utroque etiam diversi generis operationes promanent, quarum aliae soli menti, aliae soli corpori, aliae vero ambabus substantiis conjunctim competerent. Ad actiones à sola corporis ejusdemque partium legitima seu proportionata dispositione provenientes, reducit conceptionem & generationem ipsiusque foetus in utero nutritionem, respirationem, ventriculi appetitum & alimentorum adsumptionem & subsequentem eorundem in ventriculo & duodeno chyficationem, ipsius chyli depurationem & motum

motum per intestina, ingressum & progressum per vasa lactea, sanguinis elaborationem & circulationem, nutritionem, se. & excretionem urinae, insensibilem transpirationem & sudores, menstruam excretionem mulierum, bilificationem in hepatae, nec non spirituum ita dictorum animalium generationem ac distributionem una cum adjunctis corporis animalis, uti sunt temperamentum &c. quarum omnium functionum principium vitale fit mere materiale & mechanicum, nempe spiritus animalis, quem ratione summae suae subtilitatis, mobilitatis ac virtutis elasticae cum spiritu subtilissimo, arte chymica parato vel plane cum radiis luminis comparare non dubitat.

§. CCLXIV.

Relicta *Physiologia*, ad *Pathologiam* transitum facit *Auctor* noster, quam theoriae medicae partem in *generalem* ac *specialem* distingvit. In *illa* de morbis in genere, in *bac* vero de illis speciatim, nec non de eorundem causis tam externis quam internis uti & effectibus agit. Ad causas externas, praeter sex res non naturales, etiam casum & contagium refert; Caeterum omnes morbi sunt vel fluidarum vel solidarum partium: Ad primam classem pertinent praeternaturalis humorum abundantia vel contrarius defectus, ita tamen, ut illa hoc longe frequentior sit; Deinde vitiosa humorum qualitas seu cacochymia, cujus varias adferit species, nempe visciditatem & crassitiem, tenuitatem nimiam, aciditatem, austeritatem humorum, acrimoniam eorundem salsam, alcalinam &c. Huc etiam, secundum *Au-
toris* mentem, spectat praeternaturalis humorum circulantium motus, qui quippe perverti & vitiosus reddi potest ac solet, dum vel nimium augetur vel imminuitur vel alia ratione depravatur. Vel ipsa plane humorum substantia vitiatur, quando vel in flatus resolvuntur, vel in calculos concrefcunt, vel in pus, mellaginem, pultaceam vel adiposam materiam convertuntur, unde deinde in ventriculo & intestinis flatus generentur, hic calculi ex-
crescant,

crescant, alibi vermes excludantur, vel melicerides, atheromata ac steatomata alibi producantur. Suos porro morbos vindicat spiritibus animalibus seu impetum facientibus partibus, quatenus vel eorundem substantia a maligna quadam aura, veneno animali vel exhalatione venenosa infecta in varias tendentias cieatur, unde epilepsias & convulsiones originem suam derivare existimat: Vel quatenus quantitate debita deficiunt, vel in motu suo varia ratione depravantur, cum in statu hominis regulari & ordinario hunc spirituum motum regularem quoque & ordinatum esse oporteat, & in continua quasi & aequali undulatione constitutum. Postremum in historia morborum locum concedit vitiis laesionis partium solidarum, quorum pertinent morbi magnitudinis auctae, uti sunt varii tumores, vel imminutae, uti atrophia est: Ad quem ordinem etiam morbi in numero sive aucto sive imminuto, morbi conformationis vel figurae vel situs vel solutae unitatis pertinent.

§. CCLXV.

Pathologiae ideo subjungit *Semeioticam Auctor*, qua, quo quis promptior est atque peritior in morbo cognoscendo, eo quoque felicior erit in eodem curando. Sunt autem, quod in laudem *Auctoris* hic reticendum non fuit, in universum, quae in hac parte occurrunt, & lectu jucunda & scitu absolute necessaria. Constituit autem *Junckerus* noster duplex *Semeiologiae* membrum, quorum alterum *dignotionem*, alterum *prognosin* patefacit. Circa prius ita sese gerit, ut primum signa salubria & insalubria, deinde vero signa actionum sive integrarum sive laesarum nobis exponat. Ita ex actionibus vitalibus signa nobis praebent functiones ventriculi, respiratio, pulsus, nutritio, urinae aliorumque excrementorum excretio, uti sunt dejectiones alvi, sudores, sputum, lacrymae, menses & haemorrhoides in adsuetis, vomitus & haemorrhagiae narium: Ex animalibus vero signa desumuntur tam a sensibus externis quam internis, a motibus voluntariis, somno atque vigiliis & certo quoque

quoque respectu a dolore. Neque minus signorum fontes praebent modi quidam tam generales quam speciales corporis, uti sunt ex priorum genere calor & frigus, nec non habitus totius corporis & oculorum certa dispositio; Ex posteriorum vero classe lingua ejusque mutationes, non exclusa quoque corporis dispositione ratione temperamenti, virium, sexus, aetatis, vitae generis atque consuetudinis, imo & ipsius haereditariae dispositionis ratione habita.

§. CCLXVI.

In altero *Semeiologiae* membro, quod de prognosi agit, exhibet primum signa reconvalescentiae & non-reconvalescentiae, deinde ad signa temporis & eventus, crudelitatis item & coëctionis progreditur, quibus deinde subjungit signa criseos, quatenus vel per haemorrhagiam narium vel eruptionem mensium atque haemorrhoidum, vel per sudores, vel vomitum, vel alvi fluxum vel urinam contingit. Cum vero subinde etiam per metastasin seu transpositionem materiae crises succedere soleant: Hinc illud cognoscendum esse judicat, vel ex morbi natura, vel ex virium robore, vel ex hujus illiusve partis imbecillitate, dolore varioque humoris motu. Tandem vero signa crisin consequentia suppeditat, quae vel ex euphoria vel cacophoria dignoscuntur atque petuntur vel ex laudabiliore vel illaudabiliore vultu, ex diversis pulsus conditionibus, remissione vel perseverantia febris, appetitus aliquali restitutione vel fastidio continuato, alvi apertione vel adstrictione, tranquillitate vel perturbatione mentis, somno atque vigiliis, urinae alvinorumque excrementorum varia conditione & symptomatum quorumcunque remissione vel pertinacia.

§. CCLXVII.

Ad *Therapeuticam*, Auctoris nostri ductum sequuti, devenientes notamus, tradi hac in parte methodum medendi tanquam medicationis artificialis fundamentum, eoque nomine

nomine venire artem, quae per indicationes auxilia invenit, ut illis labefactata corporis machina restituatur. Prius vero, quam curationi sese accingat medicus, duo in genere requirit *Auctor*, primo, an curationem suscipere debeat? deinde, quid & quomodo agere debeat? Quibus ita praemissis singulas remediorum classes percurrit breviter, & eo quidem ordine, ut primum purgantia, quibus etiam digestiva & laxantia cum clysteribus subordinat, exponat, deinde vero ad emetica progrediatur & hinc demum de minuenda humorum quantitate per venae sectionem agat. Missis evacuantibus tractat de praeternaturali humorum circulantium qualitate corrigenda simulque eliminanda, ubi occurrunt diaphoretica ac sudorifera, diuretica, resolventia cum evacuantibus particularibus, uti sunt apoplegmatizantia, masticatoria, salivantia, thoracica, cephalica &c. singularia quoque medicamina destinans acido podagrico, acido febrium intermittentium, acido scorbutico &c. idque tanta cum fiducia, ac si res jam plane confecta esset inter Practicos, omnibus hisce in morbis & affectibus acidum peccare. His tandem subjungit indicata & curationem morborum spirituum ut & solidas partes concernentium.

§. CCLXVIII.

Postrema *fundamentorum Junckenianorum* parte *Pharmacia* sistitur, quam prorsus necessariam medico esse existimat *Auctor*. In hac ita sese gerit, ut operationes *generales* & quasi ministras praemittat, deinde vero ad *specialiores* progrediatur. Ad *illas* refert solutionem, ita tamen, ut pulverisationem, triturationem & laevigationem simul includat, ultimae tamen iterum ancilletur sectio, concisio & contusio, rasio, limatio atque tritura, cui inprimis famulatur cribratio atque lotio: Ad *speciales* vero revocat deliquium, digestionem, nec non solutionem juvantes operationes, ut sunt expressio, decantatio, colatio, filtratio, despumatio, clarificatio, extractio, liquefactio &c; Omnium nobilissimam operationem dicit esse destillationem,

nem, quam tamen, pro meliori successu, praecedere debere injungit macerationem & subinde fermentationem vel putrefactionem, quae ultima multum juvetur contusione, humido, calido, sale ac digestionem. Destillationem excipit sublimatio, quae quippe prioris tantum species est, uti & rectificatio, cohobatio & circulatio: Quibus absolutis agit de calcinatione, fusione, detonatione, fulminatione, vitrificatione, amalgamatione, caementatione & reverberatione, quas omnes ordine excipit fixatio. Nunc vero demum instrumenta pharmaceutica exponere incipit, quorsum ignem, aërem, aquam, furnos variaque vasa refert. Producta inde emergentia sunt aquae destillatae, balsama, calces, condita, confecta, conservae, croci, elixiria, essentiae, extracta, farinae, feculae, flores atque sublimata, lapides, lixivina, magisteria, olea, reguli, resinae, rob, salia, syrapi, succi, spiritus vel vinosi vel acidi vel urinosi, sulphura, tincturae &c. Agmen denique claudit compositio medicamentorum, cujus regulis generalibus traditis, circa pondus & dosin tam absolutam quam respectivam, agitur de compositione medicamentorum in specie, quae in externa & interna dispescuntur: Ad illa pertinent apozemata seu decocta, boli, electuaria, emulsiones, infusa, looch, morsuli ac rotulae, pilulae, potiones & pulveres: Ad externa vero reducit cataplasmata, collyria, cucuphas & sacculos cum emplastris, epithematis, gargarismatis, linimentis & unguentis.

§. CCLXIX.

Nostro quoque tempore tentamen & examen medicum *Institutionisticum* per quaestiones & responsiones juxta mentem veterum pariter atque recentiorum orbi eruditorum, barbaro tamen stylo, aures moleste adficiente, exposuit *Petrus Linsing*, Phil. ac Med. D. S. Caesareae Majestatis Personae medicus & Institutionum in Alma Catholica Caesareo-Archiducali Universitate Oenipontana Professor Ordinarius. Quod deinde tentamen in gratiam Philiatorum Pragen-

Pragensium plurimis quaestionibus ad nutu & consensu praefati *Authoris* ad auctum & illustratum denuo edidit *Johannes Franciscus Löw*, S. R. J. & Caesarearum provinciarum haereditariarum eques, Med. D. & in celeberrima & antiquissima *Carolo-Ferdinanda* Universitate *Pragensi* medicinae practicae P. P. Hi, praemissis quaestionibus prolegomenalibus, ut *Auctores* loqui amant, de medicae artis existentia, essentia, origine, sectis, objecto, fine ac divisione ejusdem in *physiologiam* & *hygieinam*, *pathologiam*, *semeioticam* ac *therapeuticam* ita agunt, ut haec ultima tamen *chirurgiam*, *pharmaciam* atque *dieta* sub sese comprehendat. Ubi circa conjunctionem physiologiae cum hygieine idem fecisse videtur, quod jam superius *Oligerum Jacobacum* & *Fridericum Hoffmannum* pariter fecisse & adprobasse animadvertimus.

§. CCLXX.

Verum descendamus ad specialia & consideremus ante omnia, cujus momenti sint quaestiones physiologicae? Equidem si rem ex aequo ponderare vellemus, dicere possemus, quod ad Physiologiam vere medicam eminus saltem respiciat: Cum pleraque, excepta doctrina temperamentorum, quae de elementis, humoribus, spiritibus &c. adferuntur, a scopo medico admodum sint aliena, atque adeo, sive discantur sive ignorentur, indifferens: Nihilominus tamen quaedam naturae phaenomena, methodo mechanicorum, haud infeliciter explicat; Quae etiam ratio nos movit credendi, *Auctores* hosce inter omnes medicinae sectas ab ea, quae dogmatico-mechanica adpellari amat, non valde alienos esse, etiam si in totum eandem non amplectantur. Unde ad quaestionem: Quid sit instinctus Naturae? Respondetur: Esse motum localem, uti totius, ita & partium exiguarum, certa magnitudine & figura praedictarum, secundum quas res naturales distinguuntur & varias denominationes operationesq; sortiuntur. Imo eandem quoque ob rationem sententia *Cartesii* de principiis dogmatico-mechanica, & quidem per excellentiam declaratur,

claratur, quia ille rerum omnium principia plane mechanica statuit, quae per omnia phaenomena tum in corporum compositione tum resolutione occurrentia evidentissime & ad captum seu intellectum facillime explicari possunt. Attamen provide additur: Principia haec mechanica satis quidem commode adhiberi posse ad multos naturae effectus explicandos, sed ea tamen non sufficere in omnibus, praesertim cum animalium vires & functiones explicandae sint. Id quod sufficit, ut inde cognoscamus, non puros putos esse mechanicos *institutionum* harum *Autores*, de quibus inpraesentiarum loquimur, sed ex antiquis pariter atque recentioribus in suos usus id collegisse, quod congruum ipsis videbatur, sive quadret, sive minus. Πυξ ἢ λαξ.

§. CCLXXI.

Historia partium solidarum maximam partem ex Anatomia petita est, quae tamen praesupponenda, non de novo hic docenda vel inculcanda erat. Humoribus quoque adnumerantur spiritus seu impetum facientes partes, uti vulgo vocantur, quorum existentiam partim talibus argumentis probant, quae in meras tandem principii petitiones resolvuntur, partim vero *Hippocratis* auctoritate suffulcire & corroborare nituntur: Qualibus argumentorum generibus non multum roboris ad demonstrandum inesse, jam aliunde satis notum est.

§. CCLXXII.

Physiologiae satis commode sociatur *Hygieine*, quae est sanitatis tutrix, diaeta seu ratio vivendi; Estque secundum *Nostros* triplex, nempe *prophylactica*, quae morbos futuros pariter ac imminentes avertit, deinde *synteretica*, quae praesentem sanitatem tuetur, & *analeptica*, qua valetudinarii reficiuntur. Diaeta in genere aureis hisce regulis circumscribitur: Quae juvant & prosunt, servanda; Quae nocent, fugienda esse; Sanis nonnunquam pro medicina esse, medicina non uti; Sanum esse, qui bene digerit & bene egerit: Quibus a *C. Celso* additur alia, qua forte
nulla

nulla datur melior, nempe haec: *Sanus homo* (inquit *Celsus*) *& qui bene valet & suae spontis est, nullis obligare se legibus debet, atque nec medico nec alicui egere: Hunc oportet varium habere vitae genus, modo ruri esse, modo in urbe, saepiusque in agro, navigare, venari &c.* Speciatim deinde differitur de usu & abusu rerum non naturalium sive necessariarum, v. g. de aëris, plagae seu regionis coeli & loci seu situs salubritate, deinde de alimentis tam esculentis quam potulentis, porro de motu, quiete & exercitiis, somno & vigiliis, excernendis animique pathematibus: Ad res non necessarias seu fortuito contingentes referuntur equitatio, cursus, vociferatio, ambulatio, saltus, lusus, balnea, acidulae, lotiones pedum, manuum, capitis, vestes, lectus & lectisternia &c.

§. CCLXXIII.

In *Pathologia* agitur primum de morbis eorundemque differentiis tam essentialibus quam accidentalibus, posthaec de causis morborum in genere & speciatim de externis, cui tandem tractationi symptomatum historia subjungitur.

§. CCLXXIV.

In *Semeiologia* excerptenda ideo prolixus esse nolo, quia fontes, ex quibus doctrina signorum petitur, iidem prope modum sunt, ex quibus alii etiam hanc scientiam, morbos tam cognoscendi ac dignoscendi, quam varios eorundem eventus divinandi ac dijudicandi, depromere solent. Placuit tamen, quod signa insalubria tam accurate distincta fuerint in pathognomonica seu inseparabilia, quae morbum semper comitantur, & epigenomena, quae per causae propagationem superveniunt, atque adeo semper & ubique morbum non comitantur. Haec enim ab omnibus ea, qua requirebatur, ἀκριβεία distincta non sunt.

§. CCLXXV.

In ultima harum *Institutionum* parte sistitur *Therapeutica*, cui multae utilissimae regulae practicae in genere praemittuntur,

tuntur, priusquam ad specialia fiat transitus, uti sunt: Medicum, ut ministrum Naturae ad ejus molimina attendere debere; Non sermone tantum, sed ipso opere vere medicum haberi; Visitationes crebras patientium esse celebrandas, & in illis sedulo vultum, vires, victum & mutationes morbi examinandas ac perdiscendas; Nihil movendum, neque immutandum, neque alimentis neque medicamentis, si natura bene agit per se, quod debet; Remedia saepe mutanda non esse, quae ab initio bona sunt visa, licet non succedant; Non pudeat quenquam medicum, in arduis casibus tempestive alios medicos in consilium vocare; In consiliis cavendam esse contentionem & disputationem, quae quippe medicos dedecet & aegros non juvat, sed afflictis addit afflictionem; Semper urgentiori & periculofiori quantocyus succurrendum, etiam remediis temerariis, si opus sit, ne, his omissis, aegrum certo mortis periculo exponat medicus; Morbum parvum non esse attollendum nec magnum parvi faciendum: Id enim medicos turpis lucri & ignorantiae ergo facere; Morbo non cognito, ad magna remedia nunquam progrediendum, ne errorem vel periculum committat & pulmonem curet, ubi ventriculus patitur; In formulis remediorum praescribendis accuratum esse oporteret medicum; In aegris considerandam esse aetatem, sexum, consuetudinem, morbum, vitae genus, regionem, vires & ipsum denique medicamentum; Opiatorum & narcoticorum abusum esse fugiendum, nec ea porrigenda exhaustis & viribus prostratis, cum iis sint viaticum ad aeternitatem; Idem intelligendum esse de abusu purgantium vomitoriorumque; Medicamenta incognita, male praeparata, obsoleta & destructa nunquam esse ordinanda: Et quae sunt alia ejusmodi monita plura, quae, si a Practicis ea, qua par est, solertia in facienda praxi observarentur, certissimum est, multis aegrotantium querelis superfedere posse Practicos.

§. CCLXXVI.

Quod ipsi ab *anonymo* quodam exprobratur vitium, quasi nempe aphorismos *Hippocratis* a *Wedelio* in porismata resolutos ad verbum transcripserit, ejus mentione non facta; Id silentio praetermitto: Dicat ipse, si adhuc in vivis fuerit, suam causam, seque contra tam gravem *plagii* imputationem ipse defendat.

§. CCLXXVII.

Ex Gallis Dn. *le Francois*, Facultatis Parisiensis Doctor medicus, idem fovisse videtur propositum, quod *Paulum Ammannum*, Professore olim Lipsiensem, commovit, ut ad *institutionum medicarum* emendationem, necessario suscipiendam animum adplicaret, ea tantum differentia inter utrumque intercedente, quod *ille* magis *consilium de universa medicina emendanda* subministrare cordi habuerit. Uti vero nullum dubium est, quin consilia talia Reipublicae medicae admodum salutaria, utilia imo & necessaria sint: Ita tamen eo potissimum collineare deberent, ut justa primum & futuris usibus practico-clinicis recte inservitura theoria conderetur, cui dein ceu solido fundamento tota praxis clinica superstrui posset. Quae eadem *Auctoris* nostri animo insedisse videtur opinio, dum non sine ratione conqueritur, praecipua scholarum systematibus; praxi medicae contrariis, inniti, parum a docentibus de justa remediorum adplicatione moneri, atque hinc parum vel nihil utilitatis in discipulis redundare inde posse. Accedit, tyrones artis nescire verum sibi eligere Doctorem, qui, si ipse praxin clinicam nunquam exercuerit, atque adeo observationum utilium suppellectilem colligendi occasione destitutus ipse fuerit, sanorum & praxi adplicabilium praeceptorum loco, inanes ac saepius cerebrinas supeditabit speculationes, quibus, si dein praxin suam superstruat, falli eum multis modis oportet. Semper mihi visum est, promiscuam talem in studio medico, quod sanitatem & vitam hominum pro objecto habet, informationem studiosae juventuti nocentissimam esse.

§. CCLXXVIII.

Atque, hisce ordine sic praemissis, non solum de obstaculis, medicinae incrementa impredientibus removendis, sed & de justis atque legitimis mediis, quibus ad statum meliorem ac feliciorum evehi possit ars medica, solide differit.

§. CCLXXIX.

Anno 1731. *institutiones medicinae theoreticae*, physiologiam & pathologiam comprehendentes, publicae luci exposuit *Antonius Deidier*, Regis Consiliarius ac medicus, nec non in alma Monspeliensium Academia chymiae P. P. ordinis S. Michaëlis Eques & Societatis Regiae Londinensis socius, nec non Galliae triremium Archiater. Quid in illis praestiterit Clar. Auctor, ideo prolixius exponere mihi haud licet, quod in hunc usque diem meas in manus nondum pervenerunt.

§. CCLXXX.

Ex *Anglis* vero hoc nostro seculo *manuductionem physico-medicae* communicavit *Petrus Paxton*, qua Academicae juventuti methodum & adminicula suppeditavit, ad artis medicae cognitionem facili negotio perveniendi. Fundamentum nempe, cui hanc suam promissionem superstit, tam a vera partium, quibus C. H. componitur, structura, quam etiam a continuo fluxu & mutatione earundem petit atque morborum myriades, in Europaeis regionibus homines infestantium, non tam a naturae humanae fragilitate, quam potius a luxuria & male sano vivendi ordine dependere demonstrat.

§. CCLXXXI.

Ex eadem nobilissima *Anglorum* natione in publicum quoque produxit ac delineavit medicinae ac morborum statum *Johannes Woodwardus*, M. D. inque Collegio *Gersbamiensi* ejusdem Prof. P. nec non medicorum Collegii & Societatis regiae membrum, aliis jam scriptis in Actis eruditorum Lipsiensibus hinc inde recensitis satis notus. Relictis otiosis & sterilibus theoriae vulgaris figmentis, quibus per-

multi

multi hac nostra aetate animos suos pascunt, secuturum se potius naturae ipsius atque observationum ductum spondet, nec tamen ratiocinia se omnino neglecturum, fidem simul facit. Quod scriptum ut fructuosius legeretur, commendat praeliminariter evolvi alium a se editum librum sub rubro: *Idea naturae humanae morborumq̄, quibus est exposita, cum metodo iisdem medendi.*

§. CCLXXXII.

Cum vero tractatui huic non pauca immiscuisset, quae aliorum Doctorum Londinensium placitis erant contraria, tritamque haecenus & consuetam medendi methodum dereliquisset, inprimis autem DD. *Freindium* atque DD. *Meaden* acerbius paullo tractasset, crabrones hoc ipso scripto tantopere irritavit, ut permulti adversarii certatim quasi, ceu fieri adsolet, in ipsum conspiraverint; Unde non defuerunt, qui per satyras, dramata musica, quae operas vocant, imo libellos famosos ludibrio publico *Woodwardum* exponere sategerunt, imo DD. *Mead irae*, quae furor brevis est, fraena eousq; laxare haud erubuit, ut *Woodwardo* in platea publica obviam factus, gladium stringere & hostiliter ipsum invadere haud fuerit veritus. Ad quem temeritatis & audaciae gradum cum multis ob legum civilium rigorem pervenire non liceat: Convitiis saltem & inhonestorum verborum farragine obruere conantur illos, qui dogmata male sana, in ipsorum tamen animis altius radicata, imo communi quasi consensu adprobata, philiatrorum animis evellere sanioraque praecepta instillare moluntur.

§. CCLXXXIII.

Valet nimirum hunc usque in diem tritum illud: VERITAS ODIUM PARIT. Fata, quae hucusque expertus sum ipse, *Woodwardianis* haud plane dissimilia sunt. Quamvis enim ad eum usque insolentiae & furoris gradum nondum pervenerint adversarii mei, ut gladium publice, id quod *Woodwardo* contigit, in me stringerent: Non cessarunt

vunt tamen, injuriosis merasque calumnias spirantibus scriptis me impetere, existimationem ac famam meam aliis suspectam reddere, retia clanculum tendere idque omne moliri, quod fortunae meae quaecumque detrimentum adferret: Verum cuncta haec consilia in irritum hucusque recidisse, in sinu gaudeo, taliumque emissariorum, alienis passionibus inservientium, oblocutiones non pluris, quam catellorum latratus aestimavi, quos proinde ne dignos quidem judicavi, quibus vel verbum amplius reponeretur. Tantos interim tumultus excitavit ad amatorum *spirituum animalium*, quorum systema verum ignorantiae asylum est, relegatio! Tantopere crabrones irritavit *corticis peruviani*, imposturarum plenissimi, insimulatio!

§. CCLXXXIV.

Facilem quoque in medicinam introductionem, fundamenta & necessaria praeliminaria ad praxin continentem, concinnavit J. *Pechey*, Collegii medici Londinensis membrum. Non videtur vero Auctor proprias meditationes una continua & naturali serie isto in libro proposuisse, sed ex celebrioribus tantum scriptoribus congestisse. In institutionibus, quae primam ejus partem constituunt, physiologiam, hygieinam, pathologiam, semeioticam ac therapeutice; In secunda materiam medicam succincte exposuit, quae tamen una cum reliquis, quae pertractavit, momentis rerum, non sunt hujus loci.

§. CCLXXXV.

Anno 1712. in theatro scriptorum artis medicae elementarium comparuit J. *von Gaukes*, Med. D. pariter Angelus, qui Dissertationem edidit *de medicina, ad certitudinem Mathematicam evehenda, continentem certa arcis hujus principia, & quomodo ex iis omnia mechanice & methodo Mathematica demonstrari possint.* Optandum equidem omni modo foret, ad certitudinem Mathematicam artem in omnibus ac singulis suis partibus evehi posse: Longe vero alia quaestio est,

an hoc ab Auctore nostro praestitum sit? Illa certe principia, sive physica, sive chymica, sive mechanica, sive hydraulica fuerint, quae tamen pro certis & indubitatis venditantur, talia non esse, ipsa illorum indoles satis evincit; Per physica enim intelligit materiam, motum & formam, nec non tria *Cartesii* elementa, quae nemo alius facile aliter consideraverit, quam ut hypothetica. Per *chymica* denotat particulas & moleculas, quas machinarum invisibilium nomine indigitat. Per *mechanica* designat potentias mechanicas vulgares & per *hydraulica* machinas & instrumenta hydraulica. Verum qui demonstrationum Mathematicarum genium rite callent, facili opera comprehendent, Auctoris nostri putatitias demonstrationes cum Mathematicis nil nisi nomen commune habere. In quo concedendo non difficilis erit, qui propositiones adlatas cum demonstrationibus ipsis conferre non dubitaverit.

§. CCLXXXVI.

Ante aliquot annos edidit quoque institutiones medicas *Johannes Browne*, Med. D. quas quidem variis ex Auctoribus collectas, mechanismo nihilominus structuraeque partium solidarum ac fluidarum, ex quibus quippe corpus humanum componitur, superstruere conatus est. Quatuor itidem constant partibus, *Physiologia* nempe, *pathologia*, *semeiologia* ac *therapeutica*, quae, qua ratione systematice inter se mutuo cohaereant, ex Praefatione patere potest: Ex qua proinde paucula excerpere nobis liceat.

§. CCLXXXVII.

Principia, quae fundamenta demonstrationum esse debent, requirit mechanica, a materia nempe & motu seu dispositione corporum ad motum petenda. Sanguinis motum a systole & diastole fibrarum muscularium motriciumque, quinimo a temperie & quantitate fluidorum vult esse derivandum; Motionem vero & impulsam solidarum

partium non immateriale vel ideale quid esse, sed materia-
 le, subtilissimum tamen, catholicum nempe illud fluidum,
 propter elasticitatem summe activum, sub respira-
 tione ad nos accedens, quod a veteribus anima mundi ad-
 pellatum est: Hoc subtili elastico aëre exhalante, cum vita
 nostra vult actum esse. Hanc vitam describit esse constan-
 tem motum fluidorum, per certos canales vel vasa solidorum
 impulsu adjutum & corruptibile corpus ab interitu
 vindicantem: Motu hoc bene succedente, partem vel to-
 tum corpus vivere & a corruptione praeservari, interrupto
 vero illo nec restituto, mortuum esse pronuntiandum:
 Mortem vero a deficiente sanguinis motu dependere &
 cum dispositione ad putrefactionem esse conjunctam. Sa-
 nitatem non simpliciter in motu sanguinis circulari consi-
 stere, sed in certo motus hujus ordine, in moderato libero-
 que progressu sanguinis, cordis pulsu fibrarum tono adjuto,
 fundatam esse, seu ab aequalitate motus solidarum pariter
 ac fluidarum partium dependere. Ad continuandum hunc
 motum partium moderatum & aequalem partium soli-
 darum impulsum, partim humorum debitam & diversae
 vasorum amplitudini diversoque fibrarum vigore respon-
 dentem quantitatem, partim legitimam elementorum pro-
 portionem pro fluidis, massam sanguineam constituentibus
 temperandis, partim vasa libera & aperta, per quae
 sanguis absque obstaculo pertransire valeat, requiri. Prae-
 reliquis tamen pulsum & tonum partium utramque facere
 paginam ad sanitatem conservandam; Pulsum cor & vasa
 respicere, quae a centro ad circumferentiam humores pel-
 lunt: Tonum vero fibris deberi ac membranaceis muscu-
 losisque partibus, quibus contra a circumferentia ad cen-
 trum urgentur: Utraque motus specie recte vigente, se-
 cretiones bene succedere & hominem perfecta frui sani-
 tate. Ad *pathologiam & therapeutica*, prolixitatis nimiae
 vitandae causa, non progredior.

§. CCLXXXVIII.

Pedem potius promoveo ad *Jobannem Mariam Lancisum*,
 summi

summi Pontificis Romani CLEMENTIS XI. archiatrum, qui Romae dissertationem *de recta studiorum medicorum ratione instituenda* publice recitavit, quae cum adplausu excepta fuit.

§. CCLXXXIX.

Neque dubitamus eximium quendam inter scriptores *Institutionum medicarum* locum concedere *Johanni Baptistae Morgagna*, in Gymnasio Patavino olim Theoretices Professori longe celeberrimo, nunc vero Anatomico illius Primario. Quanquam enim in hunc usque diem ignorem, an, quas meditatus est, novas Institutiones, lucem jam adspexerint: Earundem tamen ideam inaugurali Oratione, qua Professionem Theoretices in Universitate Patavina auspicabatur, praeliminariter delineavit. Optamus animitus, ut, si dictis *Institutionibus* ultimam manum nondum admo- verit, propediem id faciat, eoque ipso votis atque deside- riis discentium aequae ac docentium satisfaciat. Sperare enim integrum est, solidi quippiam atque consummati ab hoc Celebri Viro profecturum, qui in peritia secandi tot haecenus egregia specimina edidit: Siquidem certis- simum est, Anatomiam longe solidiora elargiri posse fun- damenta, ad certitudinem mathematicae aemulam medi- cinam evehendi, quam ex physica, chymica, hydraulica mechanica &c. expectare unquam licet.

§. CCXC.

In hunc finem, ut nempe principia artis faciliora red- derentur Philiatris, conspiravit sociamque operam contu- lit *Hermannus Fridericus Teichmeierus*, M. D. ejusdemque in Academia *Jenensi* P. P. Oed. *anthropologiae* elementa seu theo- riam C. H. edendo, in qua omnium partium actiones ex recentis- simis inventis anatomicis, & rationibus tum physicis tum chymicis, tum denique mechanicis, in usum Auditorii sui declarantur. Uti e- nim mechanicis principiis addictus est: Ita & ad mentem Mechanicorum ratiocinatur; Atque adeo corpus hominis habet & agnoscit, pro machina, in quo quippe multifaria reperian-

reperiantur machinarum minorum, inimitabili artificio ab omnipotente numinis manu coagmentatarum genera, puta vectes, trochleae, funiculi, pendula, antliae cum suis embolis, cylindris, valvulis ac tubulis, exemplo oculi, auris aliarumque ejusmodi machinularum. Imo ulterius ille progreditur, atque, inter C. H. & laboratorium chymicum maximam intercedere analogiam, adferere nullus dubitat; Adeo ut, secundum ejus sententiam, in illo aequae *coagulationes, solutiones, digestiones, filtrationes* &c. ac in laboratorio quodam chymico contingant. Quae causa ipsum quoque permovet, ut in explicanda officiorum, quibus viscera perfunguntur, ratione, ad principia nunc mechanica, nunc chymica, nunc utraque recurrere consultum judicaverit.

§. CCXCI.

Circa finem praecedentis seculi *fundamenta medicinae reformatata, physico-anatomica*, quae A. 1693. Bruxellis recusa sunt, edidit *Franciscus Zypaeus*; Et licet inficias eundem non sit, multa lectu digna in *Zypaeanis* hisce medicinae fundamentis occurrere: Non pauca tamen, reformatione hac non obstante, emendatione nova indigere, ex elementis *Pitt-carnii* jam superius allegavimus.

§. CCXCII.

Alia plane via incessit *Johannes Bartholomeus Adamus Beringerus*, qui veteres cum recentioribus conciliare conatus est; Quem in finem *connubium Galenico-Hippocraticum* seu *ideam institutionum medicinae rationalium* secundum veterum & recentiorum sententias compendiose contractarum in lucem protraxit, quae *Herbipoli* A. 1708. prodiit. Retinuit is quidem divisionem *institutionum* in quinque partes, aliis solemnem, *physiologiam* nempe, *pathologiam semeiologiam, hygienen & therapevticen*, sed in omnibus brevissime sese gessit, paucisque thesibus singulas complexus est; Ut scopus ejus fuisse tantum videatur, veterum aequae ac recentiorum principia & offerre & inter se mutuo conferre; *Ut saltem quandam*

quandam cynosuram ac regulam exhiberent, ad medicinam noviter adspirantibus, qua ducti, si non portum attingere, saltem perspicere, & in vasto scientiae medicae oceano sententiarum periculosarum syrtes ac scopulos caute declinare discerent.

§. CCXCIII.

An vero ad finem hunc feliciter sint perventuri philiatrī nostri, ex speciminibus paucis, quae hic excerpta sistemus, nullo negotio cognoscere ipsis dabitur. Sanitas ipsi dicitur corporis humani ejusque partium constitutio naturalis, ad actiones ejus integre & naturaliter edendas apta & destinata. Hanc constitutionem, putat, consistere in spirituum harmonia, horum debita temperie, & partium solidarum legitima conformatione & continuitate decenti. Divisionem partium in continentes, contentas & impetum facientes calculo suo probat. In elementorum numero eligendo placuit ipsi imitari Cartesium, atque adeo cum ipso particulas primi, secundi ac tertii elementi, seu materiam subtilissimam, subtilem seu aetheream & crassiorem seu terrestrem adoptat; statim tamen subjungit, hanc hypothesein, si non caeteris veriolem, ad captum tamen & dilucidationem studii medici, & singulorum in eodem abstrusorum explanationem faciliorem magis accommodatam esse. In describendis temperamentis SEXCENTA HIPPOCRATIS fundamenti loco substernit: Unde statim patet, inter temperamentum & temperiem (quam confusionem plures admiserunt) non rite ipsum distinxisse. In tradenda spirituum doctrina a fabulosis traditionibus hucusque in scholis receptis ne latum quidem unguem recedit. Habet illos pro substantia tenuissima, subtilissima & volatillissima, ad totum complendum, & functiones C. H. rite obeundas destinata. Defendit quoque cum veteribus spiritum insitum, eumque vere existere, non tantum ex morbis haereditariis, certae cuidam parti implantatis, sed & a particularibus a parentibus communicatis idiosyncrasiis & curationibus magneticis probat. Functiones animam suo in corpore median-
tibus spiritibus peragere existimat; Hoc tamen solvendum

proponit problema: Annon cum Clar. *Stablio*, medicinae Prof. Hallensi celeberr. *rejectis spiritibus*, certae functiones per animam vitaliter in corpore agentem clarius explicentur? Plura ejusmodi specimina allegare supersedeo.

§. CCXCIV.

Ante 24. propemodum annos *synopsis institutionum medicinae*, auctore *Theodoro Zwingero*, Professore Medicinae Basileensi, tribus capitibus comprehensa, lucem adspexit publicam. In *primo* physiologia sistitur, in qua de principiis rerum naturalium, de C. H. principio vitali, nec non de nutritione, chylificatione, respiratione, secretione, sensu, motu ac partu egit Auctor. In *secundo* pathologiam exhibuit, quae de natura, causis, differentiis & signis morborum tractat. In *tertio* hygieinen ac therapevfin breviter adumbravit, methodumque medendi una cum remediis pharmaceuticis succincte adumbravit; Cunctas vero haec partes recentiorum observationibus & experimentis eximie illustravit.

§. CCXCV.

Eundem propemodum cum *Beringero* finem propositum sibi habuit *Jobannes Andreas Fischerus*; Is enim *iliada in nucce*, seu medicinam synopticam, conciliatrici medicinae subsecuturæ praemissam, publicam in lucem emisit; Unde hanc ejus intentionem haud obscure colligi licet.

§. CCXCVI.

Paucos ante annos eandem hanc elementarem artis medicae partem in studiosae juventutis gratiam & usum illustrare suscepit *Christianus Vaterus*, Pathol. P. P. Ord. in Acad. Vitebergensi, nec non physicus provinc. Saxon. ut & consiliarius & archiater Principis Servesta-Anhaltini. Universum nempe *institutionum medicarum* ambitum succinctis aphorismis tradere & exhibere, experimentisque hodiernis physicis, mechanicis, anatomicis & chymicis confirmare adlaboravit. Duas essentielles earum partes, nempe
physiolo-

physiologiam atque pathologiam admodum compendiose tractavit, in semeiotica vero medica tradenda prolixior fuit, cujus etiam prognosticae parti prae caeteris hanc merito praerogativam vindicat, quod medicus hac ipsa fidei auctoritatemque apud aegros sibi conciliet: Requirit tamen simul, ut in prognosi formanda caute se gerat, ne temerario judicio sibi aliisque noceat, & artem, alias satis certam, cavillationi aliorum exponat.

§. CCXCVII.

Methodus, qua usus est *Vaterus* in tradendis hisce institutionibus, disputatoria fuit; Nulla enim, mea sententia, melior, nulla adcommodatior est hac ipsa, ad doctrinas juvenum animis instillandas, ut judicium non modo acuatur, sed & memoriae tenacius firmissusque imprimantur, quae legendo & explicando in collegiis antea proposita fuerant. Quae eadem me quoque movit ratio, ut hasce institutiones meas methodo primum disputatoria, deinde vero etiam explicatoria traderem.

§. CCXCVIII.

Systematicam universae medicinae adumbrationem, pro studiosorum adminiculo, tradidit *Johannes Stephanus Strobelbergerus*, e Ratisbona ad thermas Carolinas medicus *Caesareus*. Scopus ejus, ut ipsemet mentem suam declarat, neutiquam fuit, ut medicinam per compendium traderet, id quod ne possibile quidem esse existimat, sed id potius voluit, ut plerosque medicinae titulos ordine quodam systematico proponeret, ut ceu loci communes in studiosorum medicinae usum venirent, ad quos, quicquid alibi apud probatos auctores notabile occurreret, referrent, & si quid declarandum sese offerret, ex istis statim peterent.

§. CCXCIX.

Huic instituto convenienter, praemissis artis medicae praecognitis, de objecto ac fine ejusdem, nec non de ejus necessitate, privilegiis, nobilitate vel contemptu, receptam ejus divisionem in *theoricam ac practicam partem*

tem proponit, in quarum *illa* corporis' humani principia & affectiones, in *hac* vero circa affectiones istas exercitatio, usus & praxis explicantur. Principia partim ex *physica*, partim ex *anatomye* petenda esse existimat; Ad *physica* refert res naturales, nempe 1.) elementa 2.) temperamenta. 3.) humores. 4.) membra. 5. facultates. 6.) operationes, 7.) spiritus, & quae his annexa, ut sunt sexus, aetas & recta beneque vivendi ratio.

§. CCC.

Uti vero sanitatem describit, esse habitum C. H, ortum ex bona temperie calidi, humidum, frigidi ac sicci, ac dein ex recta conformatione & continuitate partium corporis ad actiones (*vitales, animales & naturales*) recte obeundas: Ita *morbum* nihil aliud esse opinatur, quam *privatorem sanitatis*, seu defectum dictarum operationum, ortum ex intemperie calidi, humidum, frigidi, sicci; Vel ex partium solidarum in corpore mala conformatione vel discontinuatione. Ex quo breviter sic adumbrato schemate intelligi haud difficulter potest, quid pro suis usibus tyrones artis colligere inde possint vel debeant?

§. CCCi.

Justus Vesti, in Acad. *Erfurtensi* Pathologiae Prof. Publ. fundamenta medica, olim luci publicae exposita, denuo revisa, multisque locis aucta, sub titulo *institutionum medicarum reformatarum* circa finem praecedentis seculi denuo edidit publicique juris fecit. Firmiter equidem is, ut in *praefatione ad Lectorem* ipsemet monet, apud animum suum proposuerat, nullo amplius scripto publico se in lucem proditurum, atque iudicio hominum sese expositurum, eo quod medicae artis facies Prothei instar sese quotidie fere mutet, ut, quod hodie indubitatae veritatis adsertum esse videtur, acriterque defenditur, cras iterum rejiciatur atque Clariss. Virorum scripta laudentur ab his, culpentur ab illis, si sub aequorum vel iniquorum iudicium censuram

ram cadant; Nihilofecius tamen, cum is, qui proximo ac publico infervire iftudet, aequo animo utramque ferre debeat fortunam; Metus cenfurae iftius iniquae in animo ejus ita tandem evanuit, ut haec *inftitutiones*, easq; *reformatas* publicam in lucem prodire paffus fuerit.

§. CCCII.

At vero, fi hac noftra aetate viveret clariff. Author, fine dubio miraturus effet fcriptorum fatyricorum copiam, quibus nihil fere aliud agunt eorundem opifices, quam ut aliorum labores perfringant, &, quod in proverbio dicitur, ex musca faciant elephantum. Pauci effluxerunt anni, ex quo in societatem quandam rigidi quidam cenfores coiverant, qui alto supercilio comminabantur, fe *semieruditorum* opellas examuffim examinatos, & acri fale fatyrico confperfuros effe omnes illos, quos ex *semieruditorum* ordine acri hac cenfura dignos effent reperturi; Qui tamen ambitiofi conatus, cum permultis viris eruditis, aequis aliorum iudicibus, magnopere displicuerint, mox fua fponde evanuêrunt.

§. CCCIII.

Caeterum *inftitutiones* fuas aliorum more in 5. partes difpescit, ut in *prima* *physiologiam*, in *altera* *pathologiam*, in *tertia* *semieologiam*, in *quarta* *hygieinem* atque *therapevticam* & in *quinta* denique *diaeteticam*, *pharmaciam* atque *chirurgiam* exhibeat. Neque vero negandum eff, multa pro genio temporum, quibus vivebat, adcuratius tradidiffe *nostrum*, multa etiam veterum dogmata recte explofiffe, ut *inftitutiones* fuas *reformatarum* titulo exornare jure potuerit: Neutiquam tamen dubitamus, quin, fi hac noftra tempeffate viveret, multa adhuc emendanda ipfi reffarent.

§. CCCIV.

Eodem propemodum tempore *Johannis Francifci Vicarii*, Doctoris Medicinae ac *Profefs. publ.* & in perantiqua Frib.
Z 3 Constant.

Constant. Universitate Prof. Publici, *basis universae medicinae* lucem adspexit, quae in quinque *institutionum* libros pro veteri more divisa ac juxta neotericos in principiis mathematicis, mechanicis & anatomicis fundata Auctori dicitur, & in qua tyronibus facilem ad sacram medicinam aditum pollicetur, imo ipsis quoque Practicis in abstrusissimis casibus facem accendere laborat. Existimat is, antiquitati non omnem, quam meruit, laudem esse denegandam, saltem in consignandis historiis morborum observationibusque condendis laudabilem praestitisse operam: At vero in his non adquiescendum, sed neotericorum inventa illis esse jungenda; Et hoc modo sperandum, aliam faciem esse adquisituram artem medicam, haud abs re sibi persuadet. Ingenue quoque confitetur, ex quibus, in *institutionibus* hisce adornandis, profecerit, quos inter laudat *Blancardum, Francum, Junckenium, Wedelium, Hoffmannum* & imprimis *Etmüllerum*. Magnam quoque convenientiam esse inter *catechesin medicam* per modum dialogi a *Buxbaumio* editam, & hoc suum opusculum, sponte fatetur: Ita ut, si inter se mutuo comparentur, in quam plurimis, sese mutuo excerpssisse, observaturus vel plane juraturus sit Lector; Quod, quomodocunque sese habeat, nos suo loco lubentes relinquimus.

§. CCCV.

Sistemus potius pauca quaedam specimina ex primarum *institutionum* parte, nempe *physiologia*, unde ad *pathologiam, methodum medendi ac therapiam* ipsam concludi facile potest. De elementis seu principiis corporum sic statuit: Quatuor illa vulgaria, ignem, aërem &c. non dari, & si darentur, doceri tamen in medicina non debere. Vera corporum naturalium principia esse mechanico-physica; Corpora animalium esse machinas hydraulico-pneumaticas, quae per sanguinis & spirituum contentorum motum varias actiones edant; Ipsum hominem talem esse machinam, quae tamen duo habeat agendi principia, quorum

quorum alterum fit substantia cogitans, alterum vero extensum, certa ratione modificatum, a quo dependeat chylicatio, sanguificatio, humorum circulatio &c. Vitam humanam *formaliter* in unione animae cum materia plus minus organica, *fundamentaliter* vero in fluidis, maxime in sanguine consistere, & sic, ratione hujus fundamenti vitam corporis versari in perenni ac decenti partium fluidarum (quarum principales esse spiritus seu impetum facientes existimat) quae solidas impellant, motione. Naturam definit, esse rationem artis divinae, rebus naturalibus insertam, qua ducantur ad suos fines &c.

§. CCCVI.

Diximus paullo ante, *Vicarium* nostrum suos inter praeceptores, si non vivos, saltem mutos connumerasse *Georgium Francum*, celebrem quondam in *Heidelbergensi* Universitate *Professorem* medicinae publicum. Is enim pariter, in Auditorum suorum gratiam *institutionum medicarum* synopsis edidit, cui methodus medicinam discendi est adnexa.

§. CCCVII.

Jungimus huic *Bernbardum Matthiam Franckium*, *Professorem* ac medicum in alma *Holsatorum Christian-Albertina* publicum, qui, cum dicta in Academia extraordinariam medicinae professionem auspicaretur, de *summa theoriae*, quam vocant, *medicae ad morborum curationem recte instituendam*, necessitate vere non minus quam eleganter disseruit. Discutienda in primis sibi sumpsit duo quasi brocardica, quae omnium ore circumferuntur, quorum primum est: *Bonum theoreticum esse malum practicum*; Et contra: *Malum theoreticum plerumque bonum esse practicum*. Alterum illorum est: *Qui suffecerit ad cognoscendum, sufficere quoque ad curandum*. Quid utrique huic effato veri vel falsi subsit, pluribus is dicta oratione examinandum in se suscepit.

§. CCCVIII.

§. CCCVIII.

Melius scopo nostro inservit *Bartolomaei de Moor* oratio de methodo docendi medicinam generatim, & speciatim de modo institutiones medicas tradendi, habita Groningae, cum, finitis feriis hyemalibus, ad Lectiones ordinarias A. 1707. reverteretur. Huic themati ut rite satisfaciatur, fundamenti loco supponit, universam medicinam, quanta est, practicam esse; Est enim ars, quae a fine incipit, quae conservat sanitatem, morbos curat & vitam prorogat. Inde concludit: Male medicinam hucusque in *theoreticam* & *practicam* fuisse divisam, cum in medicina nihil tradi debeat, nisi quod ad finem istum consequendum sit adcommodatum; Et contra; Ea omnia, quae huic fini minime inserviunt, praetermittenda veniant.

§. CCCIX.

His praemissis, prudenter monet, in limine statim cessitasse medicos, quando de elementis sibi disputandum esse in Institutionibus putarunt. Si enim, uti paulo ante monuerat *Noster*, ea, quae fini medici non inserviunt, sunt praetermittenda, si institutiones practice sunt explicandae, frustra utique in medicina disputatur de elementis, utpote quae tractatio Physicis in solidum est relinquenda, quorum est, hisce de rebus differere. Neque enim, existimat is, quemquam ab omni iudicio usque adeo vacuum esse, qui non intelligat, nec quatuor elementa Peripateticorum, nec tria Cartesianorum, ad constitutionem hominis quicquam facere. Praeterea vanos condemnat conceptus, quos de statu sanitatis formare sibi solent medici, num scilicet consistat in potentia quadam actiones exercendi? Vel an sanitas a parte rei sit substantia? Tales enim, qui hisce vel similibus innutiantur conceptibus, non magis sapere posse credit, quam bene olere, qui in culina habitent.

§. CCCX.

Unde colligit Auctor noster, Sanitatem esse adjunctum

Etum vitae, vitam vero actuositatem ex interno principio. Nemini id obscurum posse esse putat, qui consideraverit, vivere esse agere, movere & moveri, cum sine motu corpus sit pondus iners. Itaque motum illum ex interno principio procedere debere. Pariter moveri quidem horologium, at non vivere. Horologium artificialem, humanum vero corpus naturalem esse machinam; Artificem rotulas scite praeparare, apte inter sese conjungere, & conveniens pondus appendere nosse, vitam tribuere non nosse. Solum DEUM vitam, respirationem & omnia hominibus largiri; Vitam solius omnipotentiae divinae stupendum esse monumentum. Verum, quodnam tandem est, sepositis rhetorum artificijs, principium illud internum, e quo, tanquam fonte perenni, omnes actiones scaturiunt, cujusque sanitas est adjunctum. Auctor noster rotunde enunciat: Non esse mentem, cujus natura in cogitatione consistat; Quasi vero cogitatio, tanquam res immaterialis, nullum cum materiali habeat commercium. Nec esse animam, cujus obscurus admodum sit conceptus; Quasi iterum duobus hisce vocabulis non promiscue & indifferenter uterentur medici. Quid ergo? Et quodnam tandem est principium istud internum, quod recte agnovit noster? Respondet: Nullum aliud, quam sanguinis continuum motum, circulationem, pressionem; Quasi non alia iterum causa requireretur, a qua motus sanguinis circularis & pressio procederet; Quo modo si quis cum Auctore nostro ratiocinaretur, aut in causarum determinatione in infinitum sine dubio progrediendum, aut agnoscendum foret in corpore humano aliud internum, illo prius, principium, nempe ipsa *Anima Rationalis*.

§. CCCXI.

Verum, reget Noster, tali progressu causarum in infinitum non esse opus; Cor enim, secundum *Aristotelis* effatum, primum esse vivens & ultimum moriens; In ovo incubato post colliquamentum candidum, punctum emi-

care saliens; Cordis illud & circulationis rudimentum esse; Hinc idem dici partem principalem, quia ab ejus contractione vita, sanitas, omnes actiones dependent; Motum esse unicum vitae auctorem; Motum sanguinis omnes partes ad agendum habiles reddere; Idem illud, quod pondus appensum in horologiis, id quod aqua vel ventus in molendinis, idem illud motum sanguinis in corpore humano efficere. Sanguinis motum vivificare omnes partes, easque ad agendum disponere; Sanguinis motum in dormientibus non minus quam vigilantibus obtinere. Quid? Quod absque sanguinis motu & versus cerebrum distributione, ne somnus quidem intelligi possit. Verum his similibusque phrasibus communiter utuntur, qui principiis ita dictis mechanicis sese manciparunt, quas tamen diluemus suo tempore.

§. CCCXII.

Quibus interim sic expositis, varias animae facultates, a Galeno temere effectas, ex *Institutionibus* vult esse remotas, & merito quidem; Quia ex legitima partium viscerumque conformatione mutuaque ad se invicem habitudine actiones corporis humani variae. ab altiori principio actuatae, longe felicius certiusque deduci possunt.

§. CCCXIII.

Progressus hinc ad alteram medicinae theoreticae partem, nempe *pathologiam*, in qua de morbis, eorundemque causis & symptomatibus agitur, provide iterum monet, practice haec omnia ob oculos ponenda; Proindeque frivolae intemperiei cum & sine materia explanationi cum antiquis non esse inhaerendum, cum omnis intemperies, juxta illorum mentem, a quibus etiam *δυσκρασίας* vocabulum ad nos derivatum est, significet aliquid stabile partibus veluti inhaerens, cum temperies partium solidarum a sanguine ejusque motu dependeat. De motu vero qui meminerint, paucos esse, aut, si meminerint, pauciores esse,

esse, qui summum ejus usum explicando lectoribus demonstraverint. Proinde repetit denuoque inculcat: Vitam esse actuositatem ex interno principio; Illud vero principium nullum esse aliud, quam pressionem sanguinis; Unde infert: Plerosque morbos, imprimis universales, a sanguine deperdere. Neque vero simpliciter motum tantum considerat, sed & humorem movendum; Considerat, inquam, motum sanguinis, talis scil. liquoris, cujus fibrosa est & esse debet consistentia, nec non vasa, in quae praecipue vires suas exerit, nempe arterias conicas; Considerat insuper, longitudinem pariter atque angulos horum tubulorum non esse ubique eosdem, sed uno in loco minus, in alio magis acutos; Considerat tandem motus hujus sequelas; Unde manifestum evadere putat, dictas qualitates hinc pendere, nec opus esse ad malignitatem & ignorantiae latibula confugere, ubicunque insoliti quippiam adparet in morbis. Considerando ergo hoc modo liquorem sanguineum ejusque consistentiam & vasa, & motum intestinum & progressivum & expansionem & horum omnium habitudinem atque relationem ad sese mutuo: Pollicetur, multo distinctiores conceptus inde orituros, conceptus inquam, quorum usus per universam praxin latissime sese sit diffusurus.

§. CCCXIV.

In signorum doctrina, quae, pariter in *Institutionibus* tradi conluevit, *Auctor* non est admodum prolixus, quandoquidem signa sese sensibus, & id, cujus signa sunt, intellectui offerunt. Vult autem, signa convenire cum morborum causis & symptomatibus, differre tantum considerandi modo. Conveniunt, inquit; Quandoquidem oportet, ut necessarius sit nexus inter signum & rem signatam: Talia autem necessaria affinitate cum morbo invicem conjunguntur. Inter reliqua autem signa pulsui non postremum concedit locum; Quare? Quia motus sanguinis medico imprimis considerandus est.

Uti vero motus sanguinis aequalis ad vitae & sanitatis conservationem necessarius est: Ita immutatus morborum causa est, magnitudinis morbi signum, & eventus felicitis vel infelicitis argumentum existit. Plures pulsuum differentias, quae tactu explorari non possunt, enumerare recusat, cum aliud sit in museo aliquid fingere, aliud per accuratam observationem & attentam experientiam addiscere. Proinde nullas describere cupit pulsuum differentias, quam quae sensibus sunt manifestae; Tales autem tres tantum vel quatuor ad summum dari existimat, alium nempe, a *robore*, *validum* vel *debilem* vocandum, alium a *magnitudine*, *magnum* vel *parvum*, a citius vel tardius repetitis ictibus, *frequentem* vel *rarum*, aliumq; ab arteriae constitutione *durum* vel *mollum*. Unde praejudiciis eum excoecatam esse existimat qui credat, sese pulsuum *celerem* *contradistincte* a *frequenti* manifeste percipere posse: Cum de celeri sanguinis motu ex frequentibus & citissime sese excipientibus ictibus judicemus. Verum aliud est judicare, aliud simpliciter percipere.

§. CCCXV.

Methodum medendi, praecipuam artis partem ita vult proponendam esse, ut discipuli ex indicantium, coincidentium, prohibentium, correpuignantium & permittentium labyrintho sese explicare possint. Id vero facile esse putat, si essentia morborum, si differentiae eorundem debita evidentia ob oculos ipsis positae fuerint. Notum est, inquit *Noster*, remedium morbo debere esse contrarium vel subcontrarium: Qui ergo de morbi ingenio non recte judicat, neque poterit is legitimas elicere indicationes. Quomodo autem ille de morbi essentia recte judicabit, qui de motu humorum minime, de intemperie stabili & quiescente omnino sollicitus est? Quomodo ille methodi medendi gnarus haberi poterit, qui in sanguine plethoram, quam putat non posse esse nimiam, & cacochymiam considerat, motum, dilatationem & aestum negligit?

§. CCCXVI.

§. CCCXVI.

Denique nec ipsorum medicinae instrumentorum obliviscitur *Noster*, sed tria nobis commendat, nempe *diætam*, *chirurgiam* & *pharmaciam*, ad quam etiam *Chymia* referri potest; In quibus quippe omnibus exercitatum esse oporteat medicum, si officio suo digne perfungi cupiat.

§. CCCXVII.

Cum A. 1687. *Sebastianus Christianus de Zeidlern*, Med. D. & P. P. primarius in *Academia Carolo-Ferdinandea Pragensi*, Institutiones medicas ederet, spem amplam concipere licuisset, in provectiori, qua tum constitutus erat Auctor, aetate perfecti & consummati quippiam ab eo profecturum; At vero spes nos fefellit; Nihil enim profecto egit aliud, quam quod veterum crambem jam satis coctam ac decoctam denuo recoxerit; Id quod ne absque sufficientibus rationibus dixisse videar, pauca tantum specimina in medium proferam. Illud itaq; quod Naturam adpellant omnes, cum calido innato veterum absolute convertit; Hoc enim esse, cui insita sit vis atque potestas, per quam sumus & operamur. Mixta omnia ex quatuor Peripateticorum elementis constare opinatur. Doctrinam antiquorum de qualitatibus occultis, de temperamentis, ex quatuor primarum qualitatibus, caliditatis, frigiditatis, humiditatis & siccitatis praedominio oriundis, de quatuor sanguinis humoribus, bile flava & atra, pituita & sero tanquam excrementis utilibus, de hepate, parte principe & sanguificationis organo & officina, de liene acidum alliciente aliaque ejus farinae, de quibus ex recentiorum theoria melius informatus esse potuisset, citra omnem necessitatem & utilitatem postliminio revocavit. Ut alia taceam.

§. CCCXVIII.

Institutiones ipsae more consueto in V. libros sunt distributae, in quorum *primo* de etymologia, quidditate & divisione medicinae, de officio medici, de elementis

eorundemque qualitatibus & inde resultante vario temperamento, de humoribus, de partibus H. C. de spiritibus, facultatibus & actionibus tractatur: Quae res cunctae partim ab aliis millies inculcatae, partim vero supervacuae proindeque a theoria medica vera rescindendae sunt.

§. CCCXIX.

Cumque duplicem operationis medicae finem sibi habeat praefixum, nimirum ut non modo sanitas humani corporis praesens conservetur, sed & amissa restitatur: Hinc *libro secundo* agit de usu sex rerum non naturalium, & quidem iterum juxta veterum placita, quia fortassis religioni sibi duxit, ab eorum dogmatibus vel latum unguem recedere. Sic v. g. rationem redditurus, cur supinus in dorso decubitus usque adeo nocivus sit, hunc in modum ratiocinatur: Quod nimirum tali in situ corporis sanguis in vena cava incalescat, unde multi ad cerebrum vapores eleventur, in quo concreti apoplexiae, paralyfis, convulsionum, incubi atque defluxionum causae prodeant. In *tertio vero Libro* non modo naturam morborum eorundemque differentias tum essentiales tum accidentales, sed & tempora, causas atque symptomata evolvit.

§. CCCXX.

In *quarto* per signa statum hominis sani & aegri quemque neutrum vocat, conjectare, quaeque indicia aegrotantibus salutem vel mortem portendant, edocet: Inde ad crifium dierumque criticorum, nec non urinarum atque pulsuum considerationem progreditur. In *postremo* vero libro generalem medendi methodum proponit, ostensa varia ratione venae sectionis aliarumque evacuationum per alvum, urinam, sudores &c.

§. CCCXXI.

Anno 1710. Lugduni prodiit epitome totius medicinae, institutiones, pyrotechniam, commentarium pharmaceuticum & praxin medicam succincte complectens, cui
in

in calce' addita est *Theodori Zwingeri*, Anatomiae & Botanices Professoris Basiliensis dissertatio medica de vitae longae-
vitate acquirenda. Manifestum vero est, quod haec epi-
tome ex *Michaëlis Ettmülleri*, Professoris quondam Lipsien-
sis scriptis medicis sit compilata; Unde celebris hujus me-
dici opera in compendium redacta, A. 1701. Londini im-
pressa hac inscriptione lucem publicam adspexerunt: *Micha-
elis Ettmülleri, in Academia Lipsiensi quondam Professoris celeberrimi,
opera omnia in compendium redacta: Qui liber si cum hoc no-
stro comparetur, eundem plane esse liquide constabit.*

§. CCCXXII.

Quod igitur primam istius compendii partem, nem-
pe *institutiones*, quae hac vice nostrae tantum considera-
tioni subjacent, attinet, in quatuor illas partes digestas
esse videmus, nempe in *Physiologiam*, quae de principiis
corporum naturalium, de principio corporis humani vi-
tali, nutritione, chylicatione, respiratione, secretione,
sensu, motu & partu tractat; Deinde in *pathologiam*, qua
natura, causae, differentiae & signa morborum exponun-
tur: Tandemque in *hygieinen ac therapევsin*, quibus duabus
partibus de methodo medendi remediisque pharmaceuti-
cis agitur.

§. CCCXXIII.

Qui secundum principia Illustr. STAHLII, quae ta-
men naturae ipsi conformia sunt, prima artis medicae fun-
damenta stabiliverit, praeter *Georgium Philippum Nenterum*,
medicum & practicum *Argentinesem*, qui & medicinam in
eadem Universitate docendi facultatem nactus erat, paucis
innotuere. Edidit is A. M. DCCXIV. theoriam tam homi-
nis *sani* quam *aegroti*; In illa *physiologiam*, in hac vero *patho-
logiam* nempe *medicam*, ita tractandam suscepit, ut, quod
in votis potissimum cordatiorum quidam habebant, *expun-
ctis in physiologia minime necessariis, superfluis ac curiosis, quae
vera artis medicae fundamenta magis evertere, quam confirmare
solent, ea tantum, quae ad medicum ejusque scopum praecipue spe-
ctant,*

stant, traduntur, & ex veris naturae, in corpore humano agentis, principis solide demonstrantur; Praemissa in gratiam tyrōnum introductio de requisitis boni medici. In altera vero theoriae medicae parte, quae pathologiam explicat, remotis pariter inutilibus, ea tantum, quae ad praxin vere medicam necessaria sunt, tradere admissus est, cui similiter praemissa est introductio de navis pathologia moderna & activo in morbis.

§. CCCXXIV.

Est autem theoria haec *Nenteriana* eo dignior, quae accuratius examinetur, quo pauciores sunt, qui eandem hac methodo exhibuerunt. Candoris & sinceritatis, quae ex omnibus ferme paginis scripti hujus clarissime elucet, primum statim documentum occurrit in epistola dicatoria ad per-illustre *quindecim Virorum Collegium Argentinense*, in qua sincere is edisseruit; Se varias quidem medicorum theorias accurate examinasse: At post multos labores & summum (quod praecipue dolendum) temporis dispendium, multas earum multa quidem curiosa & maxime subtilia, ad praxin vero medicam (ad quam tamen omnia in medicina dirigenda) minime necessaria contineri, se deprehendisse. Quare, sepositis iis, in quibus alii inutiliter occupantur, & de mechanica partium structura & effectibus, per necessitatem quandam exinde fluentibus, nihil tamen utilitatis praxi foenerantibus, supervacane ab ipsis differuntur, maluit *noster* naturam ipsam, quae vera morborum medicatrix & medicorum magistra est, consulere, ejusque non solum motus ordinarios in statu sano, sed & extraordinarios in omnis generis morbis accuratius examinare: Quo ipso scrutinio feliciter ipsi innotuit, theoriam vulgarem non tantum multa superflua & minime necessaria, sed & falsa veramque praxin evertentia continere; Unde tanto magis isto suo in proposito confirmatus fuit, reformatione quadam eandem indigere.

§. CCCXXV.

§. CCCXXV.

Naevi vero, quos in *theoria physiologica* deprehendit, hi sunt: I.) Quod pleraq; phaenomena, in C. H. vivo obvia, materiae potius ejusque variis qualitatibus, quam motui, ad certos fines, praecipue vero ad conservationem corporis directo, vindicentur. II.) Quod multa *ἀλλοτρία* in medicinam ex aliis disciplinis, v. g. physica corpusculari, botanica, chymia, anatome &c. sunt introducta, quae theoriae medicae verae potius obsunt, quam profunt: Unde haud immerito quaerit noster: *Cur saepius Anatomici optimi, Botanici, & Chymici in praxi sint infelicissimi? Unde ortum sit illud tritissimum: Optimos theoreticos pessimos esse practicos? Cur inter theoriam vulgarem & praxin nullus sit nexus &c.* Contra omni jure contendit idem: Theoriam medicam unice occupatam esse debere in inquisitione vitae ac sanitatis, quantum nempe scopo medico inservit: Cui tamen considerationi variorum quoque motuum in statu p. n. occurrentium, ad conservationem tamen corporis tendentium, tractatio addi debeat, ut appareat, quomodo etiam in statu p. n. praesentibus licet causis morbificis, nihilominus corpus, ad corruptionem intimam, nempe putredinosam pronissimum, in vita conservetur: Unde hanc vitae definitionem elicit: *Esse corporis mixti, ad corruptionem admodum proni, ope motus sanguinis circulatorii, ut & secretionum, in integritate conservationem.*

§. CCCXXVI.

Elicit hinc evidentissimum hoc consuetarium: Quod, quamdiu heterogenea varia sanguini reliquisque humoribus immixta nec quantitate nec qualitate excedunt, tamdiu quoque omnes motus, nempe tam progressivus sanguinis quam tonicus fibrosarum partium placide & absq; ulla molestia procedat, omniaque heterogenea tranquille corpore excernantur: Quamprimum vero sordes quantitate pariter ac qualitate excedere incipiant, utrumque istum vitalem motum augeri necesse sit, ut hoc tandem

modo heterogena, ad excretionem recte disposita atque praeparata per emunctoria convenientia proscribantur. Etiam si itaque extraordinarii tales motus non sine molestia contingant, pro praeternaturalibus tamen mereque morbofis propterea haberi nec possunt nec debent, sed potius, respectu finis salutares, ad excretionem materiae, corpori sive molestae sive noxae tendentes, sunt iudicandi. Et ad motus tales extraordinarios, vitae conservationem unice respicientes, merito refert haemorrhagias spontaneas, sudores criticos, coryzam, diarrhoeam criticam &c. Imo quid vetat, quo minus etiam febres ad eandem hanc classem referamus? Cum ex his, chinchina intempestive suppressis, eadem imo saepe pejora mala sequantur, quae, teste experientia, ex praedictis salutari- bus naturae motibus, perversa cura cohibitis, consequuntur.

§. CCCXXVII.

Monstratis hoc modo *physiologiae vulgaris* naevis, & ostensis contra veris ejus fundamentis, nunc defectibus *pathologiae* recensendis in *introductione* eidem praemissa se pariter adcingit *Nenterus*, cui quippe persuasissimum est, in dicta *pathologia vulgari* non pauca inutilia, ad praxin minime necessaria, imo vera *praxeos fundamenta* haud raro evertentia & felicem curationem una cum ipsa *medici fama pessundantia* inveniri.

§. CCCXXVIII.

Id quod ut solide probatum eat, ceu insignem statim defectum notat, quod pathologorum plerique *morbum ceu mere passivum* quid praefigurare sibi videantur: Cum noster potius credat, in quam plurimis (si non in omnibus) morbis esse aliquid activum, utile & ad conservationem vitae necessarium, quod ideo minime supprimitur, sed potius, non obstantibus summis molestiis, tolerari, imo (pro circumstantiarum ratione) promoveri debeat. Id quod antea adlatis exemplis febrium, coryzae, diarrhoeae, haemorrhagiarum spontanearum &c. sat luculenter patet.

§. CCCXXIX.

§. CCCXXIX.

Ad eandem hancce classẽ defectuum, quibus *pathologia* moderna laborat, refert quoque *pathologiam falsam*, quam *Tachenius* aliique praecedenti seculo in scholas medentiam non sine ingenti noxa introduxerunt. Cui *pathologiam obstructionum* jungit, a quibus non paucos morbos derivarunt alii, etiamsi in C. H. admodum raras esse veras obstructiones, Practicis satis constet.

§. CCCXXX.

Etiamsi autem ex hisce omnibus, ceu totidem specimenibus cognosci facile possit, genuinum *Stablii* filium esse *Nenterum*; Sunt tamen, ii praecipue, qui ridicule admodum quosdam inter *genuinos*, quosdam vero (si, quod sentiunt, dicere auderent) ad *spurios* vel *notos* referunt, qui hanc laudem illi disputant, loca quaedam ex utraq; hac theoria allegantes, ex quibus probare id contendunt. His vero consulendum est, ut ejusdem hujus *Nenteri* fundamenta medicinae theoretica, in forma tabularum conscripta, attentius perlegant atque perlustrent: Ita enim, meras esse, quas proponit, doctrinas *Stablianas* satis superque convincentur, nisi forte, quae de fluido nervorum Cap. III. p. 80. & 81. *physiologiae* differit, scrupulum injiciant.

§. CCCXXXI.

Exequitur id modo, *institutionum* scriptoribus solemnĩ, & hucusque in scholis medicorum recepto: Praemissis nempe medicinae praecognitis, ad *physiologiam* atque *pathologiam* ordine progreditur, quibus deinde *semeioticam*, *medendi methodum*, *diaceticam*, & *therapiam* tam *generalem* quam *specialem* subjungit, atque adeo ea omnia praestat, quae suis in institutionibus alii tractare ac praestare consueverunt, quae tamen prolixè hic recensere supersedeo.

§. CCCXXXII.

Eandem *Stablii* theoriam mira brevitate parique perspicuitate

spicuitate complexus est in *specimine theoriae medicae*, ad usum practicum adcommodatae *Johannes Simon Bauermüller*, Phil. ac Med. D. ejusdemque in Julia Ducali Würtzburgensium Universitate P. P. militiaeque praefidiarius. Is, licet auditor *Stablii*, quantum mihi quidem constat, nunquam fuerit, ejus tamen dogmata, tam *physiologiam & pathologiam*, quam ipsam quoque *therapiam* concernentia, tam exquisite comprehendit, ut accuratius compendium videre haecenus non licuerit. Omnia vero sua *Stablio* ejusque scriptis, quae diurna nocturnaue manu volvit, se debere in *Praefatione* sponte fatetur, simulque graviter conqueritur, *theoriam* hucusque *usitatam*, *classicis* nempe *famosis speculationibus superstructam* cum *praxi* adeo male cohaerere, ut potius, si quis ad normam illius mederi cupiat, possit facile imo debeat necessario fere optato & felici successu frustrari. *Speculationibus mechanicorum* (mechanismi legibus plerumque minime conformibus,) ut ut *puleris & plausibilibus* nunquam plus justo fidendum; Ad *discursum* potius eas esse, & *rationem* de rebus docte (saepius tamen futiliter) reddendam, quam ad *praxin*, juxta ductum illius, prospere exercendam; Idque se usu ac repetito ausu satis didicisse, serio adfirmat. Nullibi vero de scriptorum *Stabliano- rum*, quod alii frivole praetenderunt, ut *Philiatros* ab illorum *lectione* abarceant, & ut sua tantum admirentur, efficiant, *obscuritate* conqueritur; *Plana* ac *perspicua* ei sunt omnia, ut plerisque aliis.

§. CCCXXXIII.

Si quis vero, ad hancce theoriam melius comprehendendam ac veluti imbibendam, fontem ipsum consulere malit, tanto minus a vero scopo aberrabit. Edidit nempe *Celeb. Vir, Johannes Ernestus STAHLIUS* theoriam medicam veram, *physiologiam & pathologiam*, tanquam doctrinae medicae partes vere contemplativas, e naturae & artis veris fundamentis intaminata ratione & inconcussa experientia sistentem. At bis terve legenda est haec *Stablii* theoria, ut in succum tandem ac sanguinem convertatur. Sic facto ipso deprehendet, inter praecepta
ejus

ejus theoretica & ipsam praxin longe accuratiorum esse nexum & harmoniam, quam in ullo eorum, qui *mechanismum* ubique crepant, reperiri liceat.

§. CCCXXXIV.

Inter genuinos ejus discipulos referent sine dubio qui ab aliquo usque tempore eos ita distingvere consueverunt, *Georgium Danielem Coschwitium*, in Fridericana Hallensi olim Professore medicinae publicum, qui, etiamsi integrum cursum medicum ad principia illustris STAHLII meditatus videtur, morte tamen praeventus, solam *physiologiam* una cum *hygiene* absoluit. Titulus plenus hic est: *Organismus & mechanismus in homine vivo obuius & stabilitus, seu, hominis vivi consideratio physiologica, ex veris naturae principiis eruta, ad mechanismi & organismi leges ordine concinno deducta, methodo plana ac demonstrativa exposita, in usum auditorii sui praecipue edita, & reliquis medicinae tam theoreticae quam practicae partibus, fundamenti loco, praemissa.*

§. CCCXXXV.

Nihil vero prolixè hac inscriptione pollicetur est author, quod non re ipsa praestiterit: In omnibus enim ac singulis fidem suam plenissime liberavit, nisi quod hucusque persuadere mihi non potuerim, aphorismum quendam, scholio qualitercunque illustratum vere *demonstrativam* methodum exhibere. Qui vel primis tantum labris mathematicam degustarunt methodum, vel prima tantum *Euclidis* elementa eolverunt, illis, quid ad methodum vere *demonstrativam* requiratur, non potest esse ignotum.

§. CCCXXXVI.

His interim missis, quae rei tractatae dignitati nihil derogant, recte sustinet *nosser*, praecipuum medentis negotium in indaganda vera naturae indole verti debere, ut nempe illius ordinem, leges & quasi mores per-

spectos sibi reddat, eaque ratione aptitudinem sibi comparet, ut ministerium cum successu praestare eidem valeat: Id quod in eorum gratiam salutariter monet, qui quasi dominatum quendam in eandem adfectant, legesque ipsi domesticas, quotidianas & usitatissimas oppugnant violentaque, atque adeo loco ministerii, quod naturae praestare deberent, vim eidem potius faciunt eamque maxime turbant. O quam recte sibi aliisque consulerent intempestivi *corticis peruviani* laudatores, (in quos quippe monitum hocce adposite quadrat) si & rite illud perpenderent & in praxin quoque deducerent! Sic enim querelis numerosorum aegrotantium, qui ex incongrua tali febrium curatione dispendium sanitatis suae saepius irreparabile passi fuere, superfedere possent. Nec sine sonitica ratione addit noster: Permultos quidem esse, qui naturae se ministerium praestare, adfectant, eam tamen profundissime ignorant: Aliàs enim possibile vix foret, eos *ignorantiae asylis* naturam hoc modo descriptam adnumerare posse.

§. CCCXXXVII.

Qui vero naturae hujus, nempe humanae, verum genium perspectum sibi reddere cupit, eum, secundum *Auctoris* consilium, non modo de textura & structura partium variarum *C. H. mechanica* sollicitum esse oportet, sed & de variis motibus in eo obviis, eorundemque vero principio seu causa efficiente meditationem instituire debet; Ut ita naturam *hominis vivi* rite sciat atque intelligat: Unde evidenter fluit, *mechanismum* ubique cum *organismo* & *hunc* cum *illo* conjungendum esse.

§. CCCXXXVIII.

Specialior tractatio duabus comprehensa est *sectionibus*, quarum *prima* novem, *altera* vero tribus absolvitur capitibus. In primo sectionis primae capite agitur de homine & quidem *vivo*, prout duabus essentialibus partibus constat, corpore nempe, *mechanice* & *artificiose* exstructo, tanquam

quam principio passivo, & anima rationali, tanquam principio activo, corpori organico vitam largiente, omnesque motus in illo perpetrante, constat. In *secundo* de structura corporis variarumque ejus partium usu; in *tertio* de elementis & mixtione corporis, in *quarto* de natura, seu principio agente in C. H. vivo, in *quinto* de vita, motibus vitalibus eorundemque effectibus, in *sexto* de nutritione, in *septimo* de generatione, in *octavo* de sensatione & in *nono* de temperamentis differitur. Rationem vero, quare hoc potissimum, non alio ordine, universam *physiologiam* susceperit tractandam, in praefatione Author satis superque exposuit.

§. CCCXXXIX.

In *altera* sectione, quae *hygieinen* seu conservacionem status naturalis H. C. exponit, *primo* iterum *capite* de sanitate ejusque conservacione in genere, in *secundo* de rebus non naturalibus & in *tertio* denique de *diaeta* breviter quidem, adcurate tamen ac nervose agitur.

§. CCCXL.

Atque hic pedem figo, officio meo satisfecisse ratus, quod *plerosque*, qui ad notitiam meam pervenerunt, *institutionum* scriptores recensuerim. Quod si pollicitus essem *omnes*, promissum caderet in debitum. At vero promisi *plerosque* tantum: Et hanc me fidem plene liberasse, fatebuntur ingenui omnes *introductionis* hujus iudices; Reliquos, qui theonino tantum dente aliorum labores rodere consueverunt, non curo, paucis, sed ingenuis placuisse contentus.



(O)



J. Auster.

Pt. 2. 2. 6.

Faint, illegible text, possibly bleed-through from the reverse side of the page.

Faint, illegible text, possibly bleed-through from the reverse side of the page.

Faint, illegible text, possibly bleed-through from the reverse side of the page.

J. A. Allen
1852



